COMMENTATIO CRITICA

DE

XENOPHONTIS HELLENICIS.

SCRIPSIT

CAROLUS PETER,

PH. DR., GYMNASII MEININGENSIS DIRECTOR.

HALIS SAXONUM

LIBRARIA ORPHANOTROPHEI.

MDCCCXXXVII.

GUILELMO GESENIO

S.

Dum id facere instituo, quod in hoc opusculo mihi per se satis iucundo iucundissimum est, ut id cum literis meis ad te mittam, in eoque, ut fieri solet, proximi temporis, quod tecum fui, memoriam repeto: non possum satis mihi de singulari numinis divini beneficio gratulari, quo te potissimum praeceptorem habere mihi concessum est. Singulare beneficium dico: probe enim recordor, quum ante hos decem annos a Wexio tibi more Romano id est benevolentissime et gravissime commendatus Halas venissem, me, qui mathematicae operam navare constituissem, hac commendatione ne uti quidem voluisse, quia institutione non eram usurus tua: idemque in graeca romanaque antiquitate ita nunc domicilium fixi, ut orientem, in quo tu habitas, nunquam revisurus esse videar. Quamquam igitur nec orsus sum ab tuis literis, quas quam proprie tuas dicam neminem fugit, nec in iis de-

sii, tamen ita mihi nihil tua disciplina nec suavius nec fructuosius accidit, ut quum interdum dolere me subeat, quod cursu meo saepe ab ea via, quam nunc mihi unice probo, aberraverim, iccirco id summopere laeter, quod ad te hoc errore delatus sum.

Multa iam de eo biennio memorare possem, quo postquam a mathematica ad theologiam transii, non solum publice te audivi, sed etiam societati ei interfui, in qua cum parvo quodam discipulorum numero, si exercitationes consuetas absolvissemus, haud raro familiarius confabulari solebas; possem tua in docendo perspicuitate et alacritate ita me simul et captum et excitatum dicere, ut si quid ipse in docendo possim, id tibi uni potissimum debere videar: nisi ad id tempus properarem, quum a te gener in familiariorem consuetudinem admissus e vitae tuae contemplatione, quae contemplatio mox admiratio esse coepit, multo etiam plus incrementi cepi. Nam per hoc tempus, quod incredibile est quanto desiderio requiram, quum quotidie testis essem, quanta cum laboris assiduitate id unice spectares, ut quam maximos ac saluberrimos studiorum tuorum fructus non modo tuae aetati, sed longae posteritati traderes, summo imitandi studio incensus, quoniam neque acumen tuum singulare neque memoriae admirabilem felicitatem neque reli-

quas ingenii praeclaras dotes in me transferre poteram, id certe omnibus viribus enixus sum, ut quod voluntate assequi liceret, id meum facerem. Itaque quamquam nec easdem literas tractabam et in meis longe ab ea arrogantia aberam, ut unquam ad tui nominis celebritatem mihi vel procul accessurus esse viderer, in hoc tamen tibi volui non impar esse, ut veritatis te non minus studiosus essem et meis viribus quamvis exiguis omnibus in id unum incumberem, ut aliquid aliis per literas prodessem. In ipsa autem tractatione literarum quum multis aliis, tum hoc me mirifice adiuvisti, quod variis saepe studiis distractum revocabas, ut unum quoque tempore eligerem, quod tractarem, idque vulgatum ita demum suum fructum ferre posse admonebas, si etiam ab sermone aliqua commendatio accessisset.

Sed quorsum tam diu in meis rationibus explicandis commoror, quas te scire, alios non requirere apertum sit? Feci eidem necessitati grati animi parens, quae me compulit, ut quamquam meam erga te pietatem satis tibi cognitam esse confiderem, tamen hoc opusculum eius a me documentum exstare vellem. Quod utinam sicut grati animi professione, ita etiam argumenti novitate, doctrinae copia, sermonis latinitate recte tuum dici posset! Quamquam de argumenti novitate ipse sic

sentio, plurimum commendationis huic disputationi accessurum, si non nova protulisse, sed quae ab aliis prolata sunt, in unum coniunxisse visus fuero. In reliquis autem te quidem ita de me benevole iudicaturum spero, ut si quid alicubi deesse videatur, id probes quod est, si quid confidentius positum, non arrogantiae, sed properationi cuidam minus cautae tribuas, si quid obscurius scriptum sit, brevius dicas, si quid denique verbosius, id meo perspicuitatis studio ignoscas. Vale meque ut facis amare perge.

Dabam Meiningae mense Ian. MDCCCXXXVII.

ARGUMENTUM.

Ad tractanda his commentationibus Xenophontis Hellenica me compulerunt potissimum haec:

1) *Primum* videbam per duos priores libros singulos annos nec satis constanter nec recte omnes et interdum illi aetati minus convenienter notari;

2) *Deinde* eorundem librorum lectionem multis difficultatibus impediri, longe illis alius generis, quam quae in plerisque veterum scriptis offendere solent;

3) *Atque* has quidem difficultates observabam nequaquam pares in singulis capitibus moveri: ut certa quaedam in iis diversitas statui posse videretur;

4) *Denique* dubitari noveram, quo Xenophon illas historias consilio composuisset;

5) *Atque* esse qui statuerent, et priores duos libros et posteriores quinque per se quosque constare male eodem volumine comprehensos.

Ut igitur fert humani ingenii natura, quum de his nihildum constare viderem, ipsa virorum doctorum dissensio me impulit, ut meam quoque his libris operam navarem. Intellexi autem, quum per complures annos hoc meum studium saepe renovatum agitassem, eos viros, historicos potissimum, qui quum annos plerumque falso notari cernerent, has notas eiiciendas indica-

rent, magis historiae quam criticae consuluisse — ac sane ab historico id satis erat si demonstratum esset, his locis illas notas tolerari non posse —, eos autem, qui criticam in his libris exercerent, et in annorum notis nimium illi tribuisse historicorum iudicio et in reliquis illorum duorum librorum difficultatibus, quum eas monstrasse satis ducerent, ad universum autem de istis libris iudicium sese attollere non auderent, parum severe egisse, illam quaestionem denique de seiungendis quinque posterioribus libris excitatam quidem esse, nequaquam autem diremptam. Quid igitur? Quum illas annorum notas non illatas a librario, sed transpositas et perturbatas cernerem, idque ne omnes quidem, atque quae perturbatae essent, in iis non prorsus genuinorum locorum vestigia evanuisse, quumque per eosdem libros haud paucis in locis delentis et in brevius contrahentis librarii manus apparuisset: iudicare ausus sum, hos duos libros non casu hic illic maculis adspersos esse, sed consilio corruptos et mutatos. Quumque id semel statuissem, non destiti in illud mutantis librarii consilium inquirere, possemne aliquid de genuina istorum librorum forma coniectura assequi, quo uti liceret ad profligandas, quas quarto quintoque loco posui, quaestiones, has nimirum, in duasne partes suo quamque consilio compositas Hellenica dirimenda sint, et si sint, quod sit utriusque partis consilium.

Ita duabus partibus commentatio mea constabit, quarum altera de prioribus duobus libris ita agam, ut appareat, illos libros corruptos esse, quaeque genuina eorum forma fuerit: unde simul consequetur, possitne Thucydides his libris continuatus esse: altera parte — nolo enim reprimere iudicium meum quin statim profitear — reliquos quinque libros diverso consilio susce-

ptos esse demonstrem et quod sit illud consilium exponam.

Praemittam necesse erit aliquam quasi harum Historiarum historiam. Ad quam tamen antequam transgrediar, non iniucundum erit, haud paucorum virorum, qui acutissimo sunt iudicio, exemplo cognoscere, quanta sit de ipsa illarum Historiarum praestantia dissensio. Veteres quantopere Xenophontem laudent, notum est neque ex his laudatoribus quisquam Hellenica excipit, ex recentioribus qui cum illis consentiant aliqui a Liono (praef. Anab. p. X.) commemorati sunt, gravissimos autem testes excitavit F. Delbrueckius in libro, de quo mox pluribus disserendum erit (Xenophon, Zur Rettung seiner durch B. G. Niebuhr gefährdeten Ehre, Bonn 1829. S. 189. ff.), Valckenarium, Klopstockium, Ioann. Muellerum, ex quibus Muellerus de ipsis Hellenicis cogitavit, quum neminem magis quam Xenophontem sibi dignum visum esse diceret, quem tanquam exemplum sibi proponeret. Ipse Delbrueckius his assentitur, et I. G. Schneiderus quum non raro severissime de Xenophonte iudicet, tamen in Historia Graeca omnem ingenii eius venustatem, animi simplicitatem, honestatis amorem et pietatem in deos verbis tam candidis et elegantibus expressam esse censet, ut illa imago animi ingenii morum eius verissima exstare videatur (praef. ed. sec. p. XI.)[1]. Contra Wyttenbachius reliqua Xenophontis scripta videtur fere eo consilio laudare, ut Hellenicorum reprehensio eo

1) Kruegerus (praef. ad Dionys. Hal. Historiogr. p. XXXV.) Xenophontem graecorum Historicorum perfectissimum esse iudicat, nimirum Thucydidem cum Aeschylo, Xenophontem cum Sophocle, cum Euripide Theopompum comparans. Schlosserus contra Xenophontem cum Euripide composuit, V. Delbrueck. l. l. p. 157.

facilius feratur, verbis in Ecll. hist. praef. ed. prim. p. X. (ed. Lips. p. XIV.) usus his: „*Ipsius narrationis ut in illis duobus operibus* (*Anab. et Cyrop.*) *est copia et vigor, ita in his* (*Hell.*) *subinde nescio quomodo exilitas et languor.*“ Assentitur F. A. Wolfius in ep. ad Schneiderum, Schneiderianae editioni Hellenicorum priori praemissa, p. 126.: „*Me, ut verum fatear, quamquam pudet pigetque, huius libri Xenophontei siccitas, quum semel eum historiae causa devorassem, semper postea a diligentiore lectione absterruit.*“ Et Niebuhrius denique, quamquam is Xenophontem magis quam Historiam Graecam notat, omnium acerbissime iudicat sic: „*Wahrlich einen ausgearteteren Sohn hat kein Staat iemals ausgestossen, als diesen Xenophon! — Wie widerlich ist der mit seinen στωμύλμασι und der lispelnden Naivetät eines kleinen Mädchens*“. (Rhein. Mus. B. 2. S. 196. Kl. hist. u. phil. Schriften, p. 467.).

Concedam quum de quovis scriptore, tum maxime de Xenophonte propter simplex eius ac tenue dicendi genus magnam de praestantia iudicantium dissensionem facile exoriri potuisse, ac Niebuhrio potissimum non video quomodo placere ille potuerit: tamen quum haec dissensio nimia sit, quumque praesertim sint, qui reliqua eiusdem scripta libenter legant, Hellenica aspernentur (Wyttenbachius exemplo est): multi mecum si aliquam horum Hellenicorum partem ab initio librarii audacia inquinatam cognoverint, facile intelligent, istos reprehensores potissimum ex primorum capitum lectione taedium collegisse, ut excepta illa parte mox accuratius describenda orationem non minus venuste fluere quam in reliquis scriptis nec quicquam ad perspicuitatem et intellectum deesse non viderent.

Ut autem ad istam, quam dixi, harum Historiarum historiam pergam, de subsidiis criticis pri-

mum ita tantum potero disserere, ut de eorum exilitate conquerar. Ac de iis quidem, quae ante hoc saeculum innotuerant, rem licet paucis Weiskii verbis transigere, ita anno MDCCCI. in praefatione suae editionis Xen. Tom. IV. affirmantis (p. XXXI.): „*Nullum Xenophontis opus adhuc non dicam a Criticis doctis, sed a subsidiis criticis tam neglectum iacuit, quam haec Hellenica: vel ut verius dicam, nemo illorum iusta copia manuscriptorum codicum usus est, adeo ut Wolfius in Ep. ad Schneiderum scribere non dubitarit, opus esse ex unius membranae rivulis deductum.*" Idem testatur Zeunius, Fabric. Bibl. Gr., ed. IV., Tom. III. p. 10.: „*Ex codicibus, qui contineant hos Xenophontis libros, nonnisi unus Venetus in bibliotheca Divi Marci nobis est notus, cuius specimen exhibitum est in Catalogo bibliothecae Divi Marci, qui Venetiis* 1740. *prodiit, p.* 173." Etiam quum Xenophontis scripta reliqua omnia sex, ut videtur, codicum lectionibus a Villoisono in Iuntinae margine notatis augerentur, Hellenica sola nihil incrementi ceperunt. V. Weisk., ed. Xenoph. Tom. VI. p. 343. et p. 419. et L. Dindorf., Anab., praef. p. VI.

Aliquid deinde, quamquam haud ita multum profuerunt, quae hoc saeculo ex codicibus Parisinis subsidia parata sunt. In ipsum enim illud tempus, quum suam Weiskius editionem parabat, prima incidit Parisinorum codicum commemoratio. Nimirum qui iam antea innotuerant, Parisini numeris 1635. et 1641. notati, solam dicebantur Cyropaediam continere. V. Fabric. Bibl. Gr. Tom. III. p. 6. Prima autem ista commemoratio ita fiebat, ut non multum ei fidei concedi posse videretur. Quum enim in libro, ut Weiskius putat, a Fortia scripto, non a Gailio, hoc: Vie de Xenophon suivie d'un extrait historique et raisonné de ses ouvrages, pour servir de l'introduction a la traduction

complette des oeuvres de Xenophon par I. B. Gail, an III. de la république française, primum et isti duo codices Parisini et tertius quidam no. 1640. ita commemorati essent, ut ad omnia Xenophontis scripta pertinere viderentur, Gailiusque ipse in conversionis Gallicae P. I. p. X. istis tribus codicibus novos quatuor no. 1643. 1646. 1647. 2955. adiecisset, a se, ut ipse affirmat, inspectos: Weiskio quidem adeo uterque festinanter egisse [1]) adeoque nihil fructus inde attulisse visus est, ut omnem ille spem abiiciat, seque incertiorem factum esse quam ante conqueratur. Tamen eventus Parisinorum codicum, ut ita dicam, veritatem comprobavit, quamquam utilitatis haud ita multum inde perceptum est, sive ita sunt codices sive Gailius minus accurate comparavit. Gailius enim in sua Xenophontis editione illos codices et descripsit (Vol. 7. P. 2. p. 83. sqq.) et comparavit scripturaeque diversitatem exhibuit. Repetiit istam descriptionem Lionus (Anab. praef. p. XXIX.): notas isti habent A. 1335., B. 1950., C. 1635., D. 1639., E. 1640., F. 1641.: iudicium de plerisque facit Dindorfius l. l. Atque his subsidiis usi sunt Schneiderus, ed. altera anni 1821., et L. Dindorfius, qui Hellenica bis edidit, Lipsiae 1824. Berolini 1831. [2]), hosque intellige, ubi Dindorfius scripturam aliquam optimorum librorum auctoritate confirmari dicit, iidemque sunt Schneideriani codices A. B. C. D. E. F., ad quos solet provocare praeter codicem Venetum, quamquam hunc,

---

1) Ut aliquod documentum huius festinationis afferam, codex, cui Apostolii scribae nomen impositum est, idem apud illum numero est 1641., apud hunc 1643.

2) De codice Victoriano, quo Dindorfius usus est, v. praef editionis Lipsiensis.

in quo nimirum nititur vulgatus qui dicitur textus, rarissime nominat, nominat tamen (ut I, 3, 8.). Atque ea, quae modo docui, ex Schneideri Dindorfiique editionibus ita apparent, ut quamquam nec Gailii editio ad manus est, nec reperire potui, quam Schneiderus (praef. p. XX.) suorum se codicum notitiam exhibiturum pollicetur, tamen pro certis affirmare non dubitem [1]).

Pergo igitur ad reliqua virorum doctorum studia in his Hellenicis collocata. Quum enim hac recenti, quam dicunt, aetate antiquae literae denuo tractari coeptae essent: viri docti primum omnia tentarunt, ne manum ipsi Hellenicorum contextui iniicere cogerentur. Itaque Petitus [2]), Usserius [3]), Palmerius [4]), quum post Thucydidem septem fere belli Peloponnesiaci anni restarent, apud Xenophontem autem non amplius quinque annos notari viderent, totidem annis quaequae Xenophon per libros I. et II. narrat, contineri, reliquorum autem duorum annorum res his antecedentium desiderari statuerunt: mancum enim esse librum a principio, alias sanum. Contra Petavius [5]) errorem Xenophonti tribuit, qui Thucydidem continuaverit quidem non interrupto belli cursu, falso autem res gestas, quae sex amplius annos expleant, quatuor annis et quod excurrit, incluserit. Iam vero

1) Cf. G. Sauppii accuratissimam commentationem hanc: Xenophonteische Literatur der letzten zwölf Jahre (Neue Jahrbücher für Philologie u. s. w. 1833. Bd. 7. H. 4. S. 437. fgg.).

2) Obss. I, 12.

3) Annal. p. 116. ed. Genev.

4) Exercitt. in auct. Gr., p. 60.

5) Doctrina temporum, lib. X. Cap. 29.

novam viam monstrarunt Dodwellus [1]) ac Marshamus [2]), quum Xenophonti succurri posse iudicarent succisis ephororum archontumque nominibus et annorum numeris: ita nihil obstare, quominus per septem annos res illorum librorum digerantur atque Hellenica Thucydidem bene excipere dicantur [3]). Atque in his vestigiis subsisti videbatur; eadem enim tenuerunt Morus Examine quorundam locorum Hist. Gr. Xen., eius editioni Hellenicorum praemisso, p. XV. sqq.; Weiskius Quaest. ad Hist. Gr., ed. Xenoph. Tom. IV., p. XIV—XVIII.; Schneiderus ad Hellen. I, 2, 1. 3, 1. al.; Haackius Dissertat. chronologica de postremis belli Peloponnesiaci annis secundum Xenophontis historiam recte digerendis, Stendal. 1822.; Clinton Fastis Hellenicis, p. 274.; L. Dindorfius Chronologia historiae Graecae in editionis Berol. (anni 1831.) fine adiecta; Sieversius Commentationibus historicis de Xen. Hellenicis, p. prior., Berol. 1833. p. 7.: quamquam non omnes hi ita tenuerunt, ut hac ratione quascunque libri difficultates sublatas censerent. Multorum enim assensum tulit Wyttenbachius, in Ecll. hist. loco supra commemorato sic pergens: „*Quam saepe in eam cogitationem incidi, ut suspicarer, Xenophontem in hoc aut mere commentarios consignasse historiae postea ab ipso copiosius ac diligentius conscribendae aut nulla sua praecipue animi sententia et voluptate ductum suscepto Thucydideae historiae continuandae officio defungi voluisse.*“ Cf. eiusdem libri p. 308. (p. 391.). Verum iam Weiskius vidit, non satis recte sic

---

1) De vett. Graecorum ac Romanorum cyclis, diss. VIII. p. 340 —359.

2) Can. Chron. p. 487.

3) De his, quae modo narravi, aliqua pluribus exposita sunt in Fabric. Bibl. Gr. Tom. III. p. 9.

universum librum uno iudicio comprehendi — iudicat autem Weiskius, illam vituperationem tantum in quatuor quinqueve capita libri primi cadere (v. Quaest. etc., p. XXI. sqq. XXVIII. sqq.) —: et Creuzerus (Historische Kunst der Griechen, p. 296.) id ne prodesse quidem Xenophonti quicquam demonstrat. Hellenica enim eo potissimum nomine reprehendenda esse, quod nullo certo consilio composita sint, id autem vitium non minus in commentariorum primis lineis, quales Wyttenbachius videt, apparere, quam in opere absoluto, et si id vitium in istis primis lineis commissum sit, non potuisse vel diligentissima elaboratione tolli: itaque singulas partes quidem futurum fuisse, ut diligentius elaboratas ad maiorem perfectionem expoliret, ordinem autem et delectum rerum mansurum fuisse, ut esset, vitiosissimum. Nec potuit hoc quidem Creuzeri iudicium — idem enim iam ante in libro de Xenophonte historico (Lipsiae 1799.) professus erat — infringere Weiskius in Quaest. supra l.: tamen non tale fuit illud, in quo acquiesci posset. Itaque non est, quod miremur, quum iam Haackius in dissertatione illa et Kruegerus in Commentt. Thucyd. priores duos Hellenicorum libros ita ortos esse dixissent, ut Xenophon Thucydidis commentarios (τὰ ὑπομνήματα) ipsi traditos partim auctos in lucem ederet, exstitisse tandem, qui ipsos hos libros a reliquis prorsus seiungeret hasque duas partes separatim considerandas censeret, Niebuhrium dico, qui in commentatione de Xenophontis Hellenicis, quam supra monstravi, illas partes et consilio et animo et tempore, quo conscriptae sint, diversas esse ostendere studet. Ne quis dicat, id nullius momenti esse, nec ita multum interesse, illae duae partes bene an male uno volumine comprehendantur, aut in eo tantum aliquod Niebuhrii, quive alius in ea re versetur, meritum esse posse, si temporis diversi-

tatem effecerit: ea sumus indole, ut libri consilium flagitemus, qualecunque sit, sicque si vel solo consilio utramque partem differre viderimus, modo suum utriusque partis consilium clare appareat, et Xenophon ipse aliquid quasi incrementi capiet et vero gratum, ut opinor, multis erit, qui non modo consilium per se ipsum nosse cupiant, verum etiam in historia haud parum id ad fidem interesse sciant.

Niebuhrius autem quum his usus esset argumentis, locum II, 43. non potuisse sic scribi, nisi non ita multis annis post bellum Peloponnesiacum, contra VI, 4. Thessaliae res usque ad annum 357. deduci — ita temporis diversitatem apparere: dein per libros duos priores animum scriptoris elucere erga Athenienses benevolum, per reliquos malevolentissimum: illosque libros eo consilio scriptos esse, ut Thucydides ad suum finem deduceretur, hos, ut Agesilai laudes celebrarentur, quumque ipsum librorum numerum septenarium minus commodum esse suspicatus esset, aliquod autem separatae utriusque partis iudicium in Marcellino et in Aldinae inscriptione exstare existimasset: accidit, ut haec argumenta mox omnia refutarentur. Primus exstitit F. Delbrueckius in libro, quem supra nominavi, qui quamquam id potissimum sibi proposuit, ut sua laudatione non Hellenicorum, sed universorum Xenophontis librorum praestantiam vindicaret, tamen aliqua ex istis argumentis refellit. Deinde L. Dindorfius errorem de Aldinae inscriptione detexit (N. Jahrbücher, B. 4. H. 2. S. 254. fgg.), etiam Sieversius (l. l. p. 2—5.) aliquid, quamquam non ita multum in ea re profecit, denique Sieversii censor M. H. E. M. (Hallische Allgem. Lit. Z. 1834. Nr. 148.) et Olympiades in priore libri parte defendit et in posteriore parte post Delbrueckium nonnulla non malevole de Atheniensibus narrari ostendit. Et sane inania sunt maxi-

mam partem illa argumenta: unum alterumve si non inane, leve tamen: sed quod non recte demonstravit Niebuhrius, omnino recte, ut haud raro, certe sensit, ac de consilio quidem, quum Delbrueckius Sieversiusque Niebuhrii iudicium refutaverint, ipsi autem nihil, quod ferri possit, substituerint, quaestio non dirempta esse, sed dilata videtur. Illi enim nullum prorsus esse profiteatur, Xenophontem enim singulos annos, ut decurrerint, tractasse et in Mantinensi pugna nulla alia de causa substitisse, quam quod donec mortuus esset, nihil memoratu dignum habuisset, quod adiiceret [1]. Malo eam opinionem nunc paucis refutare, quam ipsum meae disputationis cursum interrumpere. Non viderunt enim illi, Xenophontem non raro plures annos ita in narratione coniungere, ut quae ab hoc illove, aut hac illave ratione per eos annos gesta essent, uno tenore persequeretur atque his absolutis demum ad reliqua reverteretur: cuius rei exempla plura mox proferam, nunc Libri septimi caput secundum sufficiat. Deinde quomodo fieri potuisse putas, ut quum res Thessalicas VI, 4. primum ad eum annum, in quo tunc versabatur narratio, deduxisset, antequam moreretur, ad idem caput iterum deveniret

---

1) Haec sunt Delbrueckii verba: „*Setzt man nun aus oben angeführten Gründen die Abfassung der Anabasis um die Zeit des Antalcidischen Friedensschlusses, und nimmt hinzu, dass er um dieselbe Zeit oder kurz vorher des Thucydides Bücher herausgegeben hatte: so wird es vielleicht für eine nicht grundlose Vermuthung gelten, Xenophon habe gleich nach beendigter Anabasis Hand an diese Geschichte gelegt, und zwar so, dass er vom einundzwanzigsten Jahre des peloponnesischen Krieges an den damals hinter ihm liegenden Zeitraum in einem Zuge bearbeitete, dann aber das Werk mit den Begebenheiten von Jahr zu Jahre fortrücken liess*" (p. 119.).

adiiceretque, quae usque ad annum 357 accidissent! Ac nonne nisi consulto in pugna Mantinensi substitisset, multa profecto isto anno habuisset memoratu digna, quae adiiceret? Sed satis haec, quum praesertim ipse Delbrueckius mox aliter iudicasse videatur, quum scriberet, quae boni ominis causa hoc loco ponam haec: „*Wer mit Berücksichtigung aller bisher theils angeführter, theils angedeuteter Puncte das Werk einer genauen Gliederung unterwürfe, würde vielleicht über die Weisheit der darin herrschenden Anordnung Entdeckungen machen, welche den flüchtigen Leser, der sie vermisst, beschämeten*“ (p. 124.).

PARS PRIOR.

DE DUOBUS PRIORIBUS HELLENICORUM LIBRIS.

Cap. I.

HISTORICO - CRITICA SINGULORUM LOCORUM TRACTATIO.

A. DE QUINQUE PRIMIS LIBRI PRIMI CAPITIBUS.

Cap. I. Accuratius primum de ipso libri initio quaerendum est. Prima sectio haec est:

Μετὰ δὲ ταῦτα οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον ἦλθεν ἐξ Ἀθηνῶν Θυμοχάρης ναῦς ἔχων ὀλίγας· καὶ εὐθὺς ἐναυμάχησαν αὖθις Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀθηναῖοι, ἐνίκησαν δὲ Λακεδαιμόνιοι ἡγουμένου Ἡγησανδρίδου.

Non potest profecto hoc initium plenum atque integrum existimari: quis enim librum sic incipi ferat: *μετὰ δὲ ταῦτα*? Tamen plerique hunc defectum parum curantes his paucis verbis, quum eius rei nuspiam alias mentio fiat, pugnae navalis inter Lacedaemonios Atheniensesque commissae testimonium contineri putarunt eamque pugnam inter res belli Peloponnesiaci memorabiles collocarunt. Quiqui enim illius belli historiam composuerunt, postquam Thucydide duce pugnam prope Eretriam inter Lacedaemonios Atheniensesque du-

cibus Agesandrida et Thymochare commissam, Euboeam insulam ab Atheniensibus amissam, a classe Atheniensium autem ducibus Thrasyllo et Thrasybulo victoriam de Mindaro Lacedaemoniorum nauarcho reportatam esse narraverunt: ad Xenophontis Hellenica sese convertunt atque illa verba supra proposita sequentes Thymocharem Atheniensem ab Hegesandrida, quem Mindarus post illam pugnam arcessiverit, nescium ubi fusum esse affirmant, deinde autem ducibus iisdem Thrasyllo et Thrasybulo alteram victoriam ibidem fere, ubi priorem, et contra eundem Lacedaemoniorum ducem reportatam esse, ex Xenophontis verbis proximis (§. 2. — 7.) referunt. Sic est, ut e multis aliquos nominem, apud Mansonem (Sparta, B. 2. S. 299. sqq.), apud Plassium (Geschichte des alten Griechenlands, B. 3. S. 413. sqq.), apud Sieversium (Commentt. hist. p. 8. sqq.).

Age videamus, cur id isti in sectione prima male faciant.

Atque primum est sane cur miremur, eosdem duces iterum inter se conflixisse, qui apud Thucydidem (VIII, 95.) conflixerant: nam eundem apud Thucydidem Agesandridam, apud Xenophontem Hegesandridam appellari, vix cuiquam dubium erit. Magis autem miramur, unde uterque classem sumpserit. Nam Athenienses quidem post illam priorem Thymocharis cladem vires novis viginti triremibus ad urbis praesidium instructis exhauserant, v. Thuc. C. 97.: Ἐπὶ δ' οὖν τοῖς ἠγγελμένοις οἱ Ἀθηναῖοι ναῦς εἴκοσιν ὅμως ἐπλήρουν: et Hegesandridas profectus quidem est cum classe sua navibus, quas Athenienses amiserant, aucta, ut Mindaro auxilium ferret: sed quum Ephoro auctore (apud Diod. XIII, 41.) in Atho promontorio tota classis praeter duodecim homines naufragio perierit: ut Hegesandridas unus ex illis duodecim fue-

rit [1]) (ac videtur fuisse, v. Hell. I, 1, 23. 3, 17.), nudus tamen in Asiam venit nec a Mindaro potuit classem accipere, qui clade paulo ante accepta ipse debilitatus esset [2]). Deinde nec quot navibus nec quo loco illa pugna commissa sit videmus, nec quid inde consecutum sit: ut iam sic illa pugna fere nulla sit. Iam vero accuratius compara Thucydidis de pugna Eretriensi narrationem (VIII, 95.). Athenienses illic, quum Agesandridas dux Spartanorum Piraeeum praetervectus Euboeam versus cursum direxisset, paucis navibus „κατὰ τάχος καὶ ἀξυγκροτήτοις πληρώμασιν ἀναγκασθέντες χρήσασθαι“ (paucis navibus dico: nam tota classis „ξὺν ταῖς πρότερον ἐν Εὐβοίᾳ οὔσαις ἓξ καὶ τριάκοντα ἐγένοντο“) eodem properant et, sic enim pergit Thucydides, „εὐθὺς ναυμαχεῖν ἠναγκάζοντο.“ Haec si eum Xenophontis narratione comparaveris, si non tantum nihil apud hunc, quod a Thucydide discrepet, reperiri videris, sed aliqua nunc demum satis apud Xenophontem clara existere, nimirum cur paucis navibus, cur confestim (εὐθὺς) conflixisse dicantur (ea enim primaria apud Thucydidem Atheniensibus calamitatis causa est, quod confestim pugnam audere coguntur), si ipsis verbis Xenophontem prope ad Thucydidem accedere intellexeris: non nimia profecto tibi videbitur audacia, si illa verba narrationis ad Thucydidis exemplum effictae fragmentum esse et

1) Nihil refert, Epicles illam classem in Asiam duxerit — ita narrat Diodorum sequens Sievers. l. l. p. 9. — an Hegesandridas: classis tamen illa tempestate amissa est.

2) Quibus Kruegerus, Commentt. Thuc. p. 328. sqq., argumentis Ephori testimonium infringere studet, ea nunc sponte cadunt. Kruegerus enim iccirco illud testimonium reiicit, ut Hegesandridas cum classe in Hellespontum profectus hanc, de qua agimus, pugnam committere possit.

de eadem pugna, quae apud Eretriam commissa est, agere statuero. Vocabulum αὖθις, quod Sieversius l. l. p. 10. (cf. p. 61.) ita explicat, ut simile proelium antea a Xenophonte narratum intercidisse suspicetur, a librario interpositum est, quum ille eorundem ducum proelium apud Thucydidem narrari vidisset.

Pergo ad proximas sectiones §. 2 — 7.

Iam antequam has sectiones accuratius examinemus, quum §. 1. eandem pugnam narrari nobis persuaserimus, quae est apud Thucydidem VIII, 95., sicque semel pedem rettulerimus, eo propensi sumus, ut Thucydidis vestigia sequi pergamus et istis sectionibus eandem pugnam contineri statuamus, quae narratur apud Thucydidem VIII, 104 — 107. Malo tamen, quum de his sectionibus non aeque certo statui liceat ac de prima, argumenta proponere et quae probare illud iudicium et quae infirmare videantur, ut suum cuique iudicium relinquam. Id saltem sic apparebit, etiam has sectiones multum dubitationis admittere.

1) Ac primum et duces et locus pugnae iidem sunt. Duces Spartanorum Mindarus, Atheniensium Thrasyllus et Thrasybulus, locus mare inter Sestum et Abydum, v. Thuc. C. 104. Xen. §. 6. 7., illic Athenienses Sesto, Spartani Abydo ad pugnam provehi dicuntur, hic eodem uterque post pugnam appellere.

2) Deinde post illam pugnam Tissaphernes apud Xenophontem (§. 9.) ad Hellespontum venit, apud Thucydidem (C. 109.) eodem iter suscipit. Quod Sieversius l. l. p. 11. existimat, quum duas pugnas statuat pluribus mensibus interiectis commissas, post priorem pugnam susceptum iter esse a Tissapherne, post alteram absolutum, id, quum valde illi properandum esset, si Mindari consilia antevertere vellet, nemo credet nisi summa necessitate coactus.

3)

3) Atque quas tandem Alcibiades moras traxit, cui, quum apud Thucydidem post illam priorem pugnam Samum venisset (C. 108.), pluribus mensibus opus fuit, ut se classi Atheniensium coniungeret, ad quam posteriore pugna fere dirempta demum pervenit? Et Plutarchus (Alc. 27.) testatur, eum, simulatque audisset bellum in Hellespontum translatum esse, omnibus viribus eo contendisse. Hanc quoque difficultatem frustra expedire studet Sieversius l. l. p. 10.

4) Plutarchus l. l. non novit nisi unam pugnam Abydensem eam, cui Alcibiades supervenisset, commissam simulatque utrique, Spartani Athenienses que in Hellespontum pervenissent.

5) Si duas victorias brevi spatio Athenienses reportarunt, non apparet, quem ex alterutra fructum perceperint. Quod enim a Xenophonte §. 8. narratur, Thrasyllum Athenas missum subsidium postulasse, idem excepto Thrasylli nomine apud Thucydidem legitur C. 106.: nec obiici potest, petitum quidem tunc esse subsidium, non impetratum, adiicit enim Thucydides: „καὶ ἐνόμισαν (οἱ ἐν ἄστει) σφίσιν ἔτι δυνατὰ εἶναι τὰ πράγματα, ἢν προθύμως ἀντιλαμβάνωνται, περιγενέσθαι.

6) Denique, quod Athenienses post pugnam (§. 11.) Cardiam fugisse dicuntur, id videntur fecisse, quia Spartani pugnam cum ipsis dimissa magna classis parte (§. 8.) debilitatis renovare velle videbantur. Idem videtur apud Thucydidem post priorem pugnam his verbis significari (C. 107.): „ὑπὸ σπουδῆς ἐπισκευάσαντες τὰς ναῦς οἱ ἐν τῷ Σήστῳ Ἀθηναῖοι ἔπλεον ἐπὶ Κύζικον ἀφεστηκυῖαν“.

Contraria argumenta haec sunt:

1) Quod istae pugnae apud Diodorum distinguuntur, altera enim XIII, 39—40., altera XIII, 45—46.

narratur. Id autem argumentum eiusmodi est, ut si posterioris pugnae descriptionem cum Thucydide comparaveris, pro me facere videatur. Haec enim posterior pugna, quum Xenophontis similitudinem referre debeat, eadem est ac Thucydidea, et prior ista, quae cum Thucydidea concinere debebat, adeo non differt a quavis pugna, adeoque non, ut cum philosophis loquar, a communitate disiuncta est, ut appareat, eam e Diodori ingenio fluxisse.

2) Sunt tamen quaedam huius posterioris pugnae propria, quibus Xenophon Diodorusque a Thucydide discrepet, idque haud exigui momenti esse ingenue fateor. Dico autem Doriei adventum ideoque conflatum proelium, atque Alcibiadis supervenientis auxilium. Ceterum quominus nimium Diodoro tribuas, et nota eius negligentia prohibet, et quod in priore pugna apud illum est, in quo Xenophontem cognoscere possis. Quum enim apud Diodorum (C. 40.) haec legas: *ἰσοῤῥόπου τῆς μάχης οὔσης ἐπεφάνησαν ὑπέρ τινος ἄκρας ναῦς εἴκοσι πέντε παρὰ τῶν συμμάχων ἀπεσταλμέναι τοῖς Ἀθηναίοις* (cf. Krüger. l. l. p. 320.), quod apud Xenophontem ita est (§. 5.): *τὰ μὲν νικώντων, τὰ δὲ νικωμένων Ἀλκιβιάδης ἐπεισπλεῖ*, nulla re profecto praeter Alcibiadis nomen utrumque locum differre dices. Deinde non redit quidem apud Thucydidem Dorieus, nec vero idem apud hunc discessit, quum ante illam priorem pugnam discessisse dicendus fuisset. V. Diod. XIII, 38. Et aliqua saltem Thucydideae pugnae similitudo in eo cernitur, quod apud hunc quoque Mindarus ante pugnam prope Rhoeteum ac Sigeum commorari dicitur [1]).

---

1) Operae pretium est Diodori in his *πολυπραγμοσύνην ῥητορικήν* observare, qui Cap. 41. primum Ephorum sequitur, deinde Thucydidis (C. 108.) narrationem de Alcibiade et de Tissapherne suis verbulis auget, Cap. 45. denique ad Xenophon-

Sive autem duo proelia in isto mari brevi spatio commissa sunt sive unum: hoc certe nemo infitiabitur, in Xenophontea descriptione multa desiderari, in qua ne verbulo quidem nec quot navibus nec quomodo pugnatum sit significetur. Accedit quod §. 4., quum Mindarus naves solvisset Dorieo auxilium laturus (ἐπεβοήθει ἐπὶ τὴν θάλατταν καὶ καθελκύσας τὰς ἑαυτοῦ τριήρεις ἀπέπλει, ὅπως ἀναλάβῃ τὰς μετὰ Δωριέως), nihil nec de receptis Doriei navibus legitur nec de itinere, quo coniuncta classis ad Abydum perrexerit: in proxima enim sectione et recepit iam has Doriei naves et prope Abydum aciem instruxit, ita ut provocati Athenienses statim pugnam ineant. Ita enim pergitur: οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἀνταναγόμενοι ἐναυμάχησαν περὶ Ἄβυδον [1]).

Non possum autem, antequam ad proxima pergam, omittere, nunc demum, si quae usque ad §. 8. apud Xenophontem narrantur, cum iis congruunt, quibus Thucydides suam historiam finit, sique ea ita ex Haackii computatione mense Iulio gesta sunt [2]), satis apparere, quomodo ille annus, etiamsi proximum ver incipiens adieceris, ad ea suffecerit, quae toto capite primo continentur: in quo Tissaphernes ad Hellespontum advenit, Alcibiades ad eum proficiscitur, captivus tenetur, post triginta dies evadit, Clazomenis quinque triremes instruit (§. 11.), inde Sestum ac denique ad Cyzicum vehitur, pugnam committit, Cyzicum ac Perinthum in deditionem accipit, Selymbriae tributum exigit ac Chrysopolin praesidio firmat.

---

tem se convertit et tamen illam posteriorem pugnam coloribus Thucydideis depingit.

1) Itaque etiam Kruegerus l. l. p. 284. inter §. 4. et §. 5. lacunam esse censet.

2) Verba ἀρχομένου χειμῶνος §. 2. aut deleas aut in alium locum transferas.

In sectionibus 8—14. nihil desideres, ac satis bene narrantur, quae inter Abydenam pugnam et Cyzicensem acciderunt. Neque ex Plutarcho aut ex Diodoro quicquam reperias, quod adiicere velis, imo Plutarchus adeo concinit cum Xenophonte, ut vel singula verba inter se respondeant. Nisi forte §. 14. in verbis: *οὐ γάρ ἐστιν ἔφη χρήματα ἡμῖν* ex Plutarcho adiectum velis: *μὴ πάντῃ κρατοῦσιν*, quod sane et aptissimum est et fere necessarium: neque apparet, quomodo Plutarchus, nisi in Xenophonte suo reperiebat, de suo addiderit. Res autem, quas in Euboea atque in Corcyra gestas esse Diodorus narrat (C. 47—48.), eas a Xenophonte praetermissas facile patiaris.

Venio ad sectiones 15—19., quibus pugna Cyzicena continetur: quae quidem corruptae sunt a librario apertissime. In his optime sic versari mihi videor, si Plutarchi Diodorique quasi luce illustrans Xenophontem illos sequens pugnam enarrem, antequam hunc exagitem. In insula igitur Proconneso, ne quid a quoquam hostibus de ipsius adventu significari posset, Alcibiades, quia id levioribus tantum navigiis fieri poterat, ita naves collocat, ut ista leviora navigia a reliquis cingerentur (*ἐκέλευσεν ἐντὸς περιβάλλειν τὰ λεπτὰ πλοῖα καὶ παραφυλάσσειν*, Plut.). Proximo deinde mane cum Cyzico propiores facti essent, Alcibiades reliquos maiore intervallo subsequi iubet, ipse cum quadraginta navibus agmen antecedit, hostes ad pugnam provocaturus, quam illos quippe multo sic superiores non detrectaturos esse sciebat. Ac sane illi cum Alcibiade conflixerunt: sed quum reliqui supervenissent Atheniensiumque naves multo plures exstitissent, quam ante visum esset, fugae sese dederunt (*τῶν δ' ἄλλων ἤδη μαχομένοις ἐπιφερομένων ἐκπλαγέντες ἔφευγον*, Plut.). Alcibiades autem cum viginti navibus iis, quae optime instructae essent, perrupta hostium acie (*εἴκοσι ταῖς*

ἀρίσταις διεκπλεύσας, Plut.) appellit hostesque terram petentes excipit. Addit Diodorus, etiam pedestres copias duce Chaerea nocte clam expositas esse easque nunc ad urbem accessisse seque cum Alcibiade coniunxisse: idem multo accuratius narrat et quomodo Lacedaemonii a terra interclusi sint et quae deinde pugnae terrestris species fuerit, quamque eius partem Pharnabazus ceperit: quae omnia si comparaveris, iusto breviorem Xenophontem dices. Quam manca autem et decurtata Xenophontis narratio sit, optime ex Plutarcho intellexeris. Primum igitur leviora navigia Alcibiades dicendus erat a reliquis cincta apud se continuisse. Quid Xenophon? τὰ πλοῖα πάντα καὶ τὰ μικρὰ συνήθροισε παρ' ἑαυτόν: quamquam huic loco potest omissa copula succurri. Deinde quum parte navium tantum Alcibiades primum impetum fecerit, apud Xenophontem contra narratio ita progreditur, ut cum tota classe hostes ad pugnam provocare videatur: nihil enim tota sectione 16. de partitione copiarum legitur. Ferremus id atque ambiguum esse diceremus, utra pugnae ratio Plutarchea vel Diodorea an Xenophontea probabilior esset, quamquam vix credibile est, Lacedaemonios nisi ita deceptos, quemadmodum Plutarchus et Diodorus perhibent, pugnam accepisse: ferremus inquam, nisi plenioris narrationis aliquod vestigium appareret, quo se quasi invitus prodit, qui Xenophontem in brevius contraxit. Proxima enim sectione sic pergitur: Οἱ δὲ Πελοποννήσιοι ἰδόντες τὰς τῶν Ἀθηναίων τριήρεις πλείους τε πολλῷ ἢ πρότερον καὶ πρὸς τῷ λιμένι. Plures igitur repente factae sunt Atheniensium naves quam antea: quomodo autem factas esse putas, nisi partitione ea facta, quam Plutarchus ac Diodorus narrant? Ac conspiciunt illas plures naves ad portum advectas (πρὸς τῷ λιμένι): quis non postulat, ut simili artificio atque apud Diodorum est, eo devenisse

dicantur? Restat tertium quartumque vestigium in verbis (§. 16.): *καὶ ἀπειλημμένας ἀπ' αὐτοῦ* (sc. *τοῦ λιμένος*) et (§. 18.): *ταῖς εἴκοσι τῶν νεῶν περιπλεύσας.* Illis enim interclusas a portu Mindari naves dicit, ubi Alcibiades primum propius accedit, unde apparet, ante, ut apud Plutarchum et Diodorum est, narrandum fuisse, quo artificio ille intercluserit: in his nec articulum nec genitivum ferre possumus, nisi ex Plutarcho *ἀρίσταις* adiiciamus.

Postquam deinde sectionum 19—26. lectione animum quasi relaxavimus, sana enim per hoc spatium videtur fluere oratio: variis rursus difficultatibus implicamur, ubi ad narrationem de Syracusanorum praetoribus pervenimus, §. 27—32., de quibus sectionibus breviter iam commonuit Kruegerus l. l. p. 322. Primum enim, quum Antandri instruxissent naves Syracusani, non narratur, quo cursum inde direxerint; quum enim per se parum credibile sit, eos Antandri mansisse, tum ipsa §. 31. exeunte Miletum ad classem successores venisse dicuntur. Et adiicit Kruegerus, ex loco I, 2, 8. idem apparere, classem illo tempore Mileti fuisse: poterat etiam Thuc. VIII, 85. proferre, ubi Hermocrates cum Milesiis Spartam proficiscitur. Recte igitur Kruegerus affirmat, hanc classis profectionem ante §. 27. intercidisse. Deinde in ipsa oratione recte Schneiderus ad h. l. exposuit, cur verba: *μεμνημένους — ὑπάρχουσαν* non possent in fine §. 28. ferri, in quo libri manuscripti habent: quamquam Dindorfius rectius Schneidero paulum etiam retraxit, post *παραγγελλόμενα* (§. 27.) ponens, quum Schneiderus post *οἱ ᾑρημένοι ἀντ' ἐκείνων* posuisset. Non liquet enim, quomodo res ipsis ducibus gloriose gestae, quibus milites eo compelli consentaneum erat, ut eundem virtutis cursum tenerent, quomodo illae possint a praetoribus in memoriam militibus revocari, quo facilius hi alios prae-

tores in ipsorum locum substitui patiantur. Nec vero vel sic oratio placet. Nam neque in ea reperio, praetores a militibus petere, ut sibi aliquando causae suae in ipsa patria gerendae copiam facerent: quod et per se illos petivisse probabile est et ex §. 29. consequi videtur, in qua trierarchorum plerique iurasse dicuntur, se illos praetores in urbem reducturos esse: et verba, quibus oratio clauditur: εἰ δέ τις ἐπικαλοίη τι αὐτοῖς, λόγον ἔφασαν χρῆναι διδόναι, nondum satis apte a quopiam explicata sunt. Non est enim profecto aptum, si praetores quum aegre militum fervorem compressissent, quo illi postulabant, ut contra magistratuum voluntatem imperium retinerent, ita perorant, si qua in re male rem gessisse videantur, rationem ipsis reddendam esse [1]).

Restat aliqua sectionis 31. difficultas, in qua exponenda iterum Kruegerum sequimur. Etenim ex Thuc. VIII, 85. Diod. XIII, 63. constat, Hermocratem, quo tempore Astyochus imperio se abdicabat, multo ante quam ipse exilio multaretur, Spartam venisse et Tissaphernem accusasse eoque Pharnabazi benevolentiam sibi comparasse. Id igitur multo ante factum erat, quam pecunias ille a Pharnabazo peteret illius quasi beneficii mercedem: quod nunc demum facit, ubi imperio deiectus est. Xenophontis autem verba haec sunt: *Κατηγορήσας δὲ Τισσαφέρνους ἐν Λακεδαίμονι Ἑρμοκράτης μαρτυροῦντος καὶ Ἀστυόχου καὶ δόξας τὰ ὄντα λέγειν ἀφικόμενος παρὰ Φαρνάβαζον πρὶν αἰτῆσαι χρήματα λαβὼν παρεσκευάζετο πρὸς τὴν ἐς Συρακούσας κάθοδον ξένους τε καὶ τριήρεις*: quae quidem verba ita explicare, ut tempus quo

1) Fortasse in ipsis his verbis latet, quod desidero, et apud Xenophontem genuinum praetores postularunt, non ut nunc coram militibus, sed ut aliquando in ipsa patria sibi rationem reddere liceret.

Hermocrates Spartam iverit, eo, quo a Pharnabazo subsidia acceperit, multo prius atque omnibus interiectis iis, quae ante de abdicato imperio narrantur, ab eo seiunctum sit, saltem durissimum est. Denique verba postrema: ἐν τούτῳ δὲ ἧκον οἱ διάδοχοι τῶν Συρακοσίων ἐς Μίλητον καὶ παρέλαβον τὰς ναῦς καὶ τὸ στράτευμα, et per se suspecta sunt, quia horum successorum adventus iam §. 29. commemoratus est, et male post Hermocratis belli contra patriam gerendi apparatus collocata.

Cap. II. Pergo ad caput alterum. Id praeter notas chronologicas, quae in principio sunt, de quibus separatim acturus sum, sanum videtur esse, nec uspiam dubitationem moveri video nisi §. 1. in verbis: ὡς ἅμα καὶ πελτασταῖς ἐσομένοις, quae quum ab interpretibus varie tentata essent, Schneidero rectius ommitti visa sunt. Difficultas autem in dativo est, qui absolute positus esse dicitur. Verum non est absolute positus. Id iam Dindorfius dixit, sed quod particulam ὡς dativum regere posse putat, id non video quomodo defendere velit: nam locus, quem comparat Cyrop. V, 2, 24., alius generis est. Imo hoc loco is dativus est, qui solet poni omissa praepositione σύν, si copiae dicendae sunt, quibus quid geritur, v. Matth. (ed. III) §. 405, 2.: sequitur enim ἐξέπλευσεν ἀρχομένου τοῦ θέρους ἐς Σάμον. Verto igitur: cum his, qui simul pro peltastis futuri erant, aestate incipiente Samum navigavit. Simillimus est locus V, 2, 4. hic: τάφρον (Ἀγησίπολις) ὤρυττε κύκλῳ περὶ τὴν πόλιν, τοῖς μὲν ἡμίσεσι τῶν στρατιωτῶν προκαθημένοις σὺν τοῖς ὅπλοις τῶν ταφρευόντων, τοῖς δὲ ἡμίσεσιν ἐργαζομένοις: in quo non minus idem casus absolute videtur positus esse.

Altero huius capitis loco, §. 13., in quo librorum scriptura κατέλευσεν multum difficultatis habebat, Dindorfii coniectura κατελέησεν res mihi videtur confecta esse.

Cap. III. In capite tertio recte Schneiderum verbis sectionis 9. his: *Ἀθηναίους δὲ μὴ πολεμεῖν Χαλκηδονίοις* offendi existimo: tamen nec *Φαρναβάζῳ* pro *Χαλκηδονίοις* recte admitti posse Weiskius vidit, ita ut hic locus plus corruptelae a librario traxisse videatur, quam primo obtutu putes. Contra in eadem sectione male Schneiderus Koeppenium secutus est, *οἱ παρὰ βασιλέως πρέσβεις* mutantem, quod illi legati demum ituri ad regem essent. Ituri sane sunt, sed iidem redituri, et quod genitivum *παρὰ βασιλέως* posuit, apparet id Xenophontem in verbo *ἐλθεῖν* voluisse. Est autem attractionis genus usitatissimum, v. Matth. §. 596. a.

Ceterum in eodem capite Byzantii expugnatio §. 14 — 22. adeo breviter enarratur, ut si Diodorum (XIII, 66 — 67.) Plutarchumque (Alc. 31.) conferas, vel falsam hanc narrationem esse videas. Vitium maxime in sectionibus 19 — 21. videtur latere. Quippe Alcibiades dicendus erat primum discessu suo tutos reddidisse Byzantios, deinde ex composito rediisse, et quum exterriti Peloponnesii, urbis custodes in portum festinassent, in quem impetus simulabatur, qui nescirent, quam fraudem Alcibiades parasset (Diod.: *οἱ Πελοποννήσιοι καὶ οἱ τὴν ἀπάτην ἀγνοοῦντες*), a coniuratis per scalas cum suis in urbem transmissus esse. Xenophon autem non tantum nihil de his, sed etiam per portas introisse Alcibiadem dicit: videtur autem aliquod genuinae narrationis vestigium remansisse, quod pergit: *Ὁ δὲ Ἕλιξος καὶ ὁ Κοιρατάδας* (sunt autem hi praesidii praefecti) *οὐδὲν τούτων εἰδότες ἐβοήθουν μετὰ τούτων εἰς τὴν ἀγοράν.* Quid enim sic est, quod Peloponnesii nesciant, si in forum properant ibique cum hostibus confligunt? Nimirum etiam apud Xenophontem primitus narratum erat, Peloponnesios, nescientes iam vel per muros vel per portas terrestres copias in urbem admissas esse, in portum deceptos properasse atque

inde demum, quum fraudem comperissent, in forum venisse: librarius autem, ut brevius hac narratione defungeretur, portum omisit.

Nec quod §. 19. de Anaxilao est, si Plutarchum comparas, integrum videtur esse: saltem post haec verba: *Βυζάντιος ὢν καὶ οὐ Λακεδαιμόνιος*, ex Plutarcho addendum videtur: *οὐδὲ τὴν Σπάρτην κινδυνεύουσαν ἀλλὰ τὸ Βυζάντιον ὁρῶν.*

Cap. IV. In capite quarto locus est difficillimus (§. 16.) hic: *ὑπάρχειν μὲν γὰρ ἐκ τοῦ δήμου αὐτῷ μὲν τῶν τε ἡλικιωτῶν πλέον ἔχειν καὶ τῶν πρεσβυτέρων μὴ ἐλαττοῦσθαι, τοῖς δὲ αὐτοῦ ἐχθροῖς τοιούτοις δοκεῖν εἶναι οἵοισπερ πρότερον, ὕστερον δὲ δυνασθεῖσιν ἀπολλύναι τοὺς βελτίστους.* Ut locum transscripsi, ita Mori coniectura constitutus est; libri enim sic; *τοιοῦτος δοκεῖν εἶναι οἷόσπερ πρότερον.* Reizius dein verba: *πρότερον, ὕστερον δὲ* deleta voluit, multorumque assensum tulit. Si Mori Reiziique coniecturam sequamur, quamquam id audacissimum esset, haec exoritur sententia: „*de ipso quidem sic a populo existimatum esse, aequales ei posthabendos esse, seniores non anteferendos, de adversariis autem, ab iis optimos cives perditos esse.*" Est aliqua sententia, sed perfrigida; accedit quod, quae proxime sequuntur, sic parum praeparata sunt. Mihi videtur, quum verbis proxime insequentibus id contineatur, eius inimicis populum adhuc usum esse, quia meliorem neminem habuerit — unde quid facilius consequitur, quam nunc quidem eum solo Alcibiade usurum esse, repudiatis eius inimicis? —, ante autem Alcibiades cum aequalibus senioribusque comparatus sit: intercidisse illud, in quo cum inimicis comparatus hisque longe superior esse dictus erat. Id enim erat cur, qui ei faverent, affirmarent, ut omnis de futuro tempore sollicitudo tolleretur. Vestigia autem apparent apertissima, si libre-

rum scripturam teneas: τοῖς δὲ αὐτοῦ ἐχθροῖς τοιοῦτος δοκεῖν εἶναι οἷόσπερ πρότερον, quae vel sic ut sunt eam sententiam admittunt, quam volo, si eum, cui videatur (δοκεῖν), populum esse dicas et τοῖς ἐχθροῖς ad εἶναι referas. Ita enim sic verti licet: „*adversus inimicos autem* (*Alcibiadi contigit ut populus*) *iudicaret eum talem esse, qui olim fuerat.*" Quamquam haec explicatio contortior est, quam ut eam verbis vere Xenophonteis adhibere velim: iste librarius tamen ita in brevius contrahens verba detorquere potuit. Iam vero necesse erat adiiceretur, quomodo factum olim esset, ut superaretur (idque latere puto in verbis mancis ὕστερον δὲ δυνασθεῖσιν ἀπολλύναι τοὺς βελτίστους), utque, quum in exilio esset, populus aliquamdiu eo carere istisque adversariis uti posset, non licuisse enim aliter: quo sic quidem optime clauditur. Sequitur enim: αὐτοὺς δὲ μόνους λειφθέντας δι' αὐτὸ τοῦτο ἀγαπᾶσθαι ὑπὸ τῶν πολιτῶν, ὅτι ἑτέροις βελτίοσιν οὐκ εἶχον χρῆσθαι.

Cap. V. Denique in capite quinto Thrasybulus Hellespontum relinquit, antequam eo venisse dictus est, §. 11. cf. IV, 9. (cf. Krüger. l. l. p. 342.) et §. 12. Antiochus Notio ad Ephesum accedit, quum ab Alcibiade in insula Samo relictus sit, v. IV, 23.

Nolo ab his capitibus discedere, antequam verbo significem, ad quae infra sum rediturus, in iis primum nuspiam, si illa Syracusanorum praetorum manca verba exceperis, ulli rectae, quam grammatici appellant, oratiunculae locum concessum esse, qua apud veteres historicos, si rerum causas atque exitus cognoscere velimus, vix carere possumus: deinde, quoties annus novus incipiat, id falso notari, nam bis (II, 1. III, 1.) falsi anni numerantur, bis (II, 1. V, 1.) non notantur, ubi notandi erant: denique in iis ipsis, quae alias a Xenophonte non sine praecipuo quodam studio tractari

videmus, in pugnis rebusque bellicis enarrandis per haec capita eum non breviter tantum, sed vel negligenter versari, ut neque quomodo, neque quo eventu quidque gestum sit, satis appareat: quod maxime in rebus memoratu dignissimis, in pugna Abydena (I, 2—7.), in Byzantii expugnatione (I, 14—23.), in pugna Cyzicensi (III, 14—22.) vidimus.

B. DE RELIQUIS DUORUM PRIORUM LIBRORUM CAPITIBUS.

Ista quinque capita, quae modo tractavi, corrupta a librario esse censeo: in reliquis genuina Xenophontis verba ad nos pervenisse. Id ut appareat, etiam haec primum ita percurram necesse erit, ut si quo in loco, quod saepius fit, viros doctos, Schneiderum maxime, haerere nec raro omnem probabilioris interpretationis spem abiicere videam, eum explicem difficultatemque, si fieri potuerit, tollam.

Cap. VI. Ac primum quidem, ubi post Callicratidae in Asiam minorem adventum suo orationi reddito colore ac vigore quasi respirare coepimus, rursus offendimur verbis his:

I, 6, 4.: *ἀλλὰ καὶ διαθροούντων ἐν ταῖς πόλεσιν, ὅτι Λακεδαιμόνιοι μέγιστα παραπίπτοιεν ἐν τῷ διαλλάττειν τοὺς ναυάρχους πολλάκις ἀνεπιτηδείων γιγνομένων καὶ ἄρτι ξυνιέντων τὰ ναυτικὰ καὶ ἀνθρώποις ὡς χρηστέον οὐ γιγνωσκόντων ἀπείρους δὴ θαλάττης πέμποντες καὶ ἀγνῶτας τοῖς ἐκεῖ κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο.*

Locum sic transscripsimus, uti consentiens exhibet librorum manuscriptorum auctoritas, et miror, quomodo factum sit, ut ex viris doctis, qui in Xenophonte operam collocaverunt, nullus eum sic ne auderet quidem explicare, quum incorruptis oculis facilis se

explicatio offerat. Scilicet verba simplicia quasi obruta sunt coniecturarum illuvie, ut vel sagacissimorum hominum acumen fallerent. Acquieverunt autem Schneiderus et Dindorfius tandem in Iacobsii coniectura, quae nescio quomodo huic viro (in Addit. ad Athen. p. 22.) exciderit, hac: *ἀλλὰ καὶ διαθροούντων ἐν ταῖς πόλεσιν, ὅτι Λακεδαιμόνιοι μέγιστα παραπίπτοιεν ἐν τῷ διαλλάττειν τοὺς ναυάρχους πολλάκις, ἀντ᾽ ἐπιτηδείων* — quam Schneiderus Dindorfiusque sic continuant: *γενομένων καὶ ἄρτι ξυνιέντων τὰ ναυτικὰ καὶ ἀνθρώποις ὡς χρηστέον γιγνωσκόντων ἀπείρους δὴ θαλάττης πέμποντες καὶ ἀγνῶτας τοῖς ἐκεῖ κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο*: quamquam Dindorfius quidem recte copulam desiderat ad annectenda verba *κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο*; eiusdem curam secundam (in additamentis editionis) non fefellit particula *δὴ*, quum adeo nihil expediat orationis flumen, ut retardet, eiicienda. At vides audaciam, qua illi, ut cetera taceam, ad quod critici non solent nisi summa necessitate coacti descendere, ut verbum demant interponantve, id ter facere sustinuerunt atque semel quidem in qua plurimum est offensionis particula negativa. Et tamen vel sic scrupuli haud pauci resident. Quomodo enim ii, qui propter rei militaris peritiam opponuntur iis, qui novo anno novum munus auspicentur, *ἄρτι ξυνιέντες* dici possunt, hoc est, si participium praesentis teneas, in perdiscenda illa re militari nunc ipsum occupati? Equidem locum ita teneo, ut supra exscripsi, factaque interpunctione post *οὐ γιγνωσκόντων* ita inpretor: „*Lacedaemonios maximopere decipi classis praefectos saepe commutando sic, ut creentur* (*γιγνομένων*), *qui minus idonei sint et rem militarem modo recens perdiscant et hominibus quomodo utendum sit nesciant*". Hoc est membrum prius, in quo optime omnia se habent: *γιγνομένων* cum Wolfio de creandis praefectis intelligo, quamquam is non satis in tempore accuratus

fuit, non enim ἡρημένων debebat explicandi gratia adscribere, sed αἱρουμένων, novo enim quoque anno novi imperatores creari solebant: iam vero hi novi praefecti recte tales dicuntur, qui rei militari perdiscendae primum operam navare incipiant (ἄρτι ξυνιέντες, quod ab hoc: οὐ ξυνιέντες tantum voluntatis significatione differt) et qui hominibus quomodo utendum sit nesciant (οὐ γιγνωσκόντων, in quo verbo tenendum est, saepe non convenire latine „*noscere*", sed „*nosse*", ut docet Hermannus ad Euripid. Med. Elmsleianam, v. 223.). Reliqua sunt verba: ἀπείρους δὴ θαλάττης πέμποντες ἀγνῶτας τοῖς ἐκεῖ κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο, quae tamen tantum abest, ut viam, quam monstravi, impeditiorem reddant, ut vel magis commendent. Particulae δὴ enim frequentissimus usus est in repetitione, ubi si qua sententia videatur aut verborum collocatione aut rerum magis alienarum admixtione obscurata esse, eadem re brevius ac fere distinctius dicta vel significata dumtaxat legentis memoriae subvenitur [1]), cf. II, 1, 21.: ἔπλευσαν ἐς Αἰγὸς ποταμοὺς, ἀντίον τῆς Λαμψάκου (ἀπεῖχε δὲ ὁ Ἑλλήσποντος ταύτῃ σταδίους ὡς πεντεκαίδεκα), ἐνταῦθα δὴ ἐδειπνοποιοῦντο. Explico igitur sic: „*ita igitur quod mittant rei maritimae imperitos et eis, qui illic essent, ignotos, eos periculum adducere, ne idcirco aliquid detrimenti capiant*". Iidem igitur qui ante ἀνεπιτήδειοι et ἄρτι ξυνιέντες et ἀνθρώποις ὡς χρηστέον οὐ γιγνώσκοντες appellati erant, nunc dicuntur θαλάττης ἄπειροι et ἀγνῶτες τοῖς ἐκεῖ, et quod ante sic dictum erat: μέγιστα παραπίπτοιεν, id nunc distinctius sic repetitur κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο, in quibus quod ὅτι omissum est, non offendes: optativus enim in oratione ob-

---

1) V. Hemsterhus. ad Lucian. II. p. 383. sqq. Valcken. ad Herod. V, 119. Schaefer. ad Dionys. Hal. p. 190. Hartung über die Partikeln, B. 1. S. 261.

liqua absolute poni solet, v. Heindorf. ad Plat. Phaed. p. 150. L. Dindorf. ad Xen. Hell. I, 3, 15.

Non minus confidenter repudiatis virorum doctorum coniecturis vulgatae scripturae veritatem vindico loco hoc:

I, 6, 15.: *τῇ δὲ ὑστεραίᾳ τοὺς μὲν ἐλευθέρους ἀφῆκε, τοὺς δὲ τῶν Ἀθηναίων φρουροὺς καὶ τὰ ἀνδράποδα πάντα ἀπέδοτο.*

Quo in loco scrupulus interpretibus iniicitur, quia Callicratidas, quo pacis faciendae studio flagret (v. §. 7.), non adeo potuerit sibi non constare, ut captos Athenienses publice venumdaret (*ἀποδίδοσθαι*, cf. §. 14.), praesertim quum contra Cononem impudenter in Graecorum, qui Spartanorum partes tuerentur, urbibus praedantem (v. I, 5, 20.) ita professus sit: *οὐκ ἔφη ἑαυτοῦ γε ἄρχοντος οὐδένα Ἑλλήνων ἐς τοὐκείνου δυνατὸν ἀνδραποδισθῆναι* (v. §. 14.). Itaque quum F. A. Wolfius ita viribus suis diffisus esset, ut eiectis verbis, quibus difficultas ista continetur, sic statueret continuandum esse: *τοὺς μὲν ἐλευθέρους ἀφῆκε, Κόνωνι δὲ εἶπεν, ὅτι παύσει αὐτὸν μοιχῶντα τὴν θάλατταν*: Leonclavium sequens Schneiderus excogitavit, qua levi mutatione etiam Atheniense praesidium dimissum diceretur, durata particula *δὲ* ita iungens: *τοὺς μὲν ἐλευθέρους ἀφῆκε τούς τε τῶν Ἀθηναίων φρουρούς, καὶ τὰ ἀνδράποδα τὰ δοῦλα πάντα ἀπέδοτο*: ea autem mutatione non vidit, quum omnis orationis concinnitas tollatur, quam non laceratis verbis medicina paretur rei. An putas, ista pacis cupiditate adeo occaecatum fuisse Callicratidam, ut non cerneret, quos dimitteret Athenienses, eos mox contra ipsum arma laturos esse? aut socios istos, qui Methymnaeos ipsos praeter capta mancipia in servitutem poscunt (v. §. 14.), si Athenienses liberi futuri fuissent, non potius in hos, quorum praesidio factum erat potissimum, ut urbs vocantibus ad dedi-

tionem Spartanis non obsequeretur (v. §. 13.), ita ira exarsuros fuisse, ut servos eos vellent? Et si verum est, quod et per se apparet et in lexico Xenophonteo affirmat Sturzius, *τὰ ἀνδράποδα τὰ δοῦλα* intelligenda esse, quae iam in urbe nondum capta servitutem servierant: nisi aliquos nunc recens factos esse servos dicas — quos autem factos putas praeter Atheniense praesidium? — illi servi a quibusnam distinguendi fuerint? Sed noli, quum hos conatus retuderimus, omnem cum Dindorfio spem vulgatae scripturae probe explicandae abiicere. In quo enim Callicratidas Cononem reprehendit seque profitetur contrariam rationem sequi, non est ista in hostes acie superatos, si qua est, quum necessitatem malim dicere, crudelitas: est abusus iste imperii detestabilis, quem mox translato adulterii nomine notat, quo Athenienses ipsis earum urbium, quas expugnassent, civibus in servitutem redactis atque agro bonisque publicatis olim in Aeginetas, Melios, Scionaeos aliosque (v. Xen. Hell. II, 3, 10. Thuc. V, 116. I, 14. V, 32. 3.) grassati erant, quoque nunc Conon inter praedandum urbes hostiles quidem, at graecas tamen attentasse dicitur. Id igitur nolebat Callicratidas: neque nunc fecit, fecisset enim sic tantum, si etiam cives (*τοὺς ἐλευθέρους*), quos dimisit, venumdedisset. *Ἐξανδραποδίζεσθαι* autem et *ἀνδραποδίζειν πόλιν* sic dici, ut modo de Atheniensibus explicavi, ex locis Xen. Hell. II, 1, 15. 2, 14. 16. 20. [1]) apparet. Simile est, quod II, 2, 20. legitur, *ἐξαιρεῖν πόλιν*. De ipsis igitur civibus urbium intelligendum est, quod Callicratidas dixit: *οὐδένα Ἑλλήνων ἀνδραποδισθῆναι*: his-

1) Etiam apud Thuc. I, 113. in verbis: *τὴν Χαιρώνειαν ἑλόντες καὶ ἀνδραποδίσαντες* sic legitur: quo loco non video cur Goellerus *καὶ ἀνδραποδίσαντες* deletum velit.

hisque etiam Lysander capta Lampsaco pepercit, de quo II, 1, 19. sic: *τὰ ἐλεύθερα σώματα πάντα ἀφῆκεν.*

In proximis sectionibus (§. 15—17.) sane ex Diodori (XIII, 77.) comparatione, quam Schneiderus instituit, aliquanto plus lucis accedit, ut et quo consilio et unde Conon advectus sit et quae pugnae (§. 17.) species fuerit, accuratius constet. Sed ut demus Xenophontem copiosiorem esse potuisse, quamquam haec uberior expositio rerum postea gestarum luci offecerit: tamen etiam sic omnia apud Xenophontem apta sunt et perspicua, ut Cononem repente in Lesbi vicinia conspiciamus — unde enim nisi Samo, ubi stationem habebat, et quo consilio nisi obsidione liberandae Mytilenae poterat adesse? — et pugnae solum eventum cognoscamus. Ex §§. 19. 20. autem verba melius quam Schneiderus fecit explicanda transscribo haec:

I, 6, 19. 20.: *Ὁ Κόνων — καθελκύσας τῶν νεῶν τὰς ἄριστα πλεούσας δύο ἐπλήρωσε πρὸ ἡμέρας ἐξ ἁπασῶν τῶν νεῶν τοὺς ἀρίστους ἐρέτας ἐκλέξας καὶ τοὺς ἐπιβάτας ἐς κοίλην ναῦν μεταβιβάσας καὶ τὰ παραῤῥύματα παραβαλών. Τὴν μὲν οὖν ἡμέραν οὕτως ἀνεῖχον, ἐς δὲ τὴν ἑσπέραν ἐπεὶ σκότος εἴη ἐξεβίβαζεν, ὡς μὴ καταδήλους εἶναι τοῖς πολεμίοις ταῦτα ποιοῦντας· τῇ πέμπτῃ δὲ ἡμέρᾳ ἐσθέμενοι σῖτα μέτρια ἐπειδὴ μέσον ἡμέρας ἦν — ἐξέπλευσαν ἔξω τοῦ λιμένος.*

Schneiderus putat istos milites interdiu sub catastromate condi, ne ab hostibus conspiciantur eandemque causam esse, cur ante lucem quoque die ad naves exeant, post lucem redeant, manere autem in navibus interdiu, ut eas instruant, simul ne si quinto die discedant, repente desiderati suspicionem hosti moveant, et in urbem noctu viam facere, ut commeatu naves sensim compleant. Naves igitur in aquam deductas hostibus conspicuas esse sine nautis et nautas nullos impositos esse credi posse, illasque ita instrui, ut hostes

fallant, ista μέτρια σῖτα autem ut adferantur (allata autem sunt, ut Xenophon ipse dicit, quinto die), quinque noctibus opus esse. Imo quum semel deductae essent et instructae, quum aliqua necesse esset hostibus moveretur suspicio, id unum Conon agere poterat, ut longiore mora hostes ad vigilandum intentos laxaret, praesertim ne nocte quidem ad requiescendum intermissa. Haec igitur causa fuit, cur quinto demum die quod volebat exsequeretur, et cur quum per noctem milites recreari cuperent, ideoque in urbem remearent, id clam hostibus facerent, qua re assecuti sunt, ut hostes nescirent, quoties escendissent. Ac vere assecutus est quod volebat, quum enim istae naves tandem portu proveherentur — οἱ ἐφορμοῦντες ὀλιγώρως εἶχον.

In proxima sectione (§. 21.) Dindorfius sic scripsit:

I, 6, 21.: *Τῶν δὲ ἐφορμούντων, ὡς ἕκαστοι ἤνοιγον, τάς τε ἀγκύρας ἀποκόπτοντες καὶ ἐγειρόμενοι ἐβοήθουν τεταραγμένοι, τυχόντες ἐν τῇ γῇ ἀριστοποιούμενοι.*

Quod haec verba sic interpunxit, apparet eum ὡς ἕκαστοι ἤνοιγον protasis loco habuisse, quasi eo ordine, quo quisque in altum excucurrerit, eodemque tempore dici possit ἀποκόπτειν τὰς ἀγκύρας καὶ ἐγείρεσθαι. Imo ὡς pertinet ut saepe ad ἕκαστοι, non ad verbum ἤνοιγον (exempla huius particulae sic positae v. ap. Wyttenb. ad Herod. I, 27.) et τε copula est, ut ita explicandum sit: *Ex obsidentibus singuli excucurrerunt, et ut quisque ancoras praecidit excitatusque est, auxilio venerunt — acciderat enim, ut in terra pranderent.* Praepostera collocatio verborum ἀνακόπτειν τὰς ἀγκύρας et ἐγείρεσθαι nihil offensionis habet.

Loco I, 6, 27. autem vix poteris verba ἐπὶ τῇ Μαλέᾳ ἄκρᾳ ἀντίον τῆς Μυτιλήνης temere repetita contra Palmerium, Zeunium, Morum, Dindorfium vindicare.

Vides autem, unde hic error ortus sit: librarii est, qui, quum oculi in locum antecedentem τῆς Λέσβου ἐπὶ τῇ Μαλέᾳ ἄκρᾳ ἀντίον τῆς Μυτιλήνης relapsi essent, decepti verborum τῆς Λέσβου iteratione, noluit delendo quae falso intulisset libri munditiem corrumpere.

Contra loco I, 6, 29.: Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἀντανήγοντο εἰς τὸ πέλαγος τῷ εὐωνύμῳ παρατεταγμένοι ὧδε. spero me tibi suspicionem a Dindorfio in verbis τῷ εὐωνύμῳ motam exempturum esse. Nimirum quae duplex est exercitus et terrestris et navalis in acie instruendi ratio, altera densior fere, recta adversus hostem fronte collocata, quae ἐπὶ φάλαγγος appellatur, altera in cornu exporrecta, oblique collocata, quae ἐπὶ κέρως sive in navali exercitu ἐπὶ μιᾶς vocatur, in hac pugna, quum naves oblique producerentur, non supervacaneum erat adiicere, utrum cornu prius productum esset: sinistrum igitur id fuit optimeque sic a sinistro cornu aciei recensio incipit. De illa duplici navium collocatione v. Hudson. et Duker. ad Thuc. VI, 32. Wesseling. ad Diod. XIX, 28. Valckenar. et Schweighaeuser. ad Herod. VI, 12. Goeller. ad Thuc. l. l. et ad II, 90. Quod in hac pugna dixi naves ita collocatas fuisse, id inde apparet, quod §. 31. naves Lacedaemoniorum dicuntur ἀντιτεταγμέναι ἅπασαι ἐπὶ μιᾶς, apud Athenienses de parte saltem id affirmatur (§. 29.): οἱ Σάμιοι δέκα ναυσὶν ἐπὶ μιᾶς τεταγμένοι — ἐχόμεναι δὲ τῶν ταξιάρχων δέκα καὶ αὐταὶ ἐπὶ μιᾶς, cf. I, 7, 29. Eandem autem aciem, quae ἐπὶ κέρως appellatur, ἐπὶ μιᾶς collocatam fuisse, apparet e Max. Tyrii (Diss. XII. p. 131. ed. Lond.) verbis his: νήχονται ἐπὶ μιᾶς τεταγμέναι (cervae) ἀλλήλαις ἑπόμεναι, ὥσπερ στρατόπεδον ἐπὶ κέρως βαδίζον. Alius eadem de re Aeliani Tactici (c. 29.) locus hic est: Ὀρθία δὲ (φάλαγξ) ὅταν ἐπὶ κέρας πορεύηται, πολλαπλάσιον ἔχουσα τὸ βάθος τοῦ μήκους.

Cap. VII. **In loco deinde, quem Schneiderus sic distinxit:**

I, 7, 18. 19. *Οὐκ ἂν ὑμεῖς γέ μοι πείθησθε, τὰ δίκαια καὶ ὅσια ποιοῦντες. Καὶ ὅθεν μάλιστα τἀληθῆ πεύσεσθε καὶ οὐ μετανοήσαντες ὕστερον εὑρήσετε σφᾶς αὐτοὺς ἡμαρτηκότας τὰ μέγιστα ἐς θεούς τε καὶ ὑμᾶς αὐτούς.*

quae verba a prioribus editoribus male explicata, a Wyttenbachio (Bibl. crit. Amst. V. p. 93.) coniectando sollicitata, a Schneidero denique facta transpositione turbata sunt, satis erit digito rectam interpretationem monstrasse. Tolle igitur id interpunctionis signum, quod Schneiderus male post ποιοῦντες posuit, et iunge, quae ille distraxit τὰ δίκαια καὶ ὅσια ποιοῦντες καὶ (ταῦτα), ὅθεν κ. τ. λ., atque haec orietur aptissima sententia: *Si iusta ac legitima faciatis et ea, unde si faciatis (sive ea, quae ita comparata sunt, ut si faciatis, inde) nullum periculum sit, ne vos unquam consilii vestri poeniteat.*

Deinde ad locum:

I, 7, 22.: τοῦτο δ' εἰ βούλεσθε,

in quo fuerunt, qui μή desiderarent, Wolfius in Ep. ad Schneider. p. 118. recte contulit Plat. Menex. p. 71. C.: Ἀνάμνησον οὖν με, πῶς ἔλεγεν· εἰ δὲ βούλει, αὐτὸς εἰπέ.

Sequitur locus difficillimus hic:

I, 7, 26—27.: *Τί δὲ καὶ δεδιότες σφόδρα οὕτως ἐπείγεσθε; ἢ μὴ οὐχ ὑμεῖς ὃν ἂν βούλησθε ἀποκτείνητε καὶ ἐλευθερώσητε, ἂν κατὰ τὸν νόμον κρίνητε, ἀλλ' οὐκ ἂν παρὰ τὸν νόμον, ὥςπερ Καλλίξενος τὴν βουλὴν ἔπεισεν ἐς τὸν δῆμον ἐξενεγκεῖν μιᾷ ψήφῳ; Ἀλλ' ἴσως ἄν τινα καὶ οὐκ αἴτιον ὄντα ἀποκτείνητε, μεταμελήσει δὲ ὕστερον· ἀναμνήσθητε, ὡς ἀλγεινὸν καὶ ἀνωφελὲς ἤδη ἐστὶ πρὸς δ' ἔτι καὶ περὶ θανάτου ἀνθρώπους ἡμαρτηκότες.*

Cur in hoc loco viri docti tam longe et a se et a vero aberraverint, causa potissimum esse ea videtur,

quod verbis ἀλλ' οὐκ ἂν παρὰ τὸν νόμον falso intellectis rectam sibi totius interpretationis viam praecluserunt. Equidem ita oratoris mentem aperire conabor, ut a primis verbis orsus accurate exponam, qua via ille ad novam quamque sententiam progrediatur.

Euryptolemus igitur postquam iustam iudicii exercendi rationem commendavit, Ecquid autem est, ait, quod timeatis, si ex lege iudicium exerceatis (τί δὲ καὶ δεδιότες σφόδρα οὕτως ἐπείγεσθε)? Deinde id quod timere quispiam possit, scilicet, ne quis se meritae poenae subtrahat, ita addit, ut vanum esse istum timorem appareat (ἢ μὴ οὐχ ὑμεῖς ὃν ἂν βούλησθε ἀποκτείνητε καὶ ἐλευθερώσητε;). Nonne iam ad commovendos auditorum animos aptissime comminatio quaedam adiicietur, verbis quidem mitigata, quantum futurum sit periculum, si contra legem agant? quippe facile fieri posse, ut omnibus uno suffragio iudicatis etiam sit, qui insons condemnetur? Iam vero proxima verba, ad quae iam adverti animum, haec: ἀλλ' οὐκ ἂν παρὰ τὸν νόμον ad notarum illarum formularum ἑκὼν οὐδ' ἄκων et sim. genus referri solent, de quibus v. Valckenar. ad Phoen. v. 437. Elmslei. ad Oed. Col. v. 135. Reisig. ad Oed. C. v. 163., ut nihil nisi pondus quoddam antecedentibus adiiciant et sine detrimento omitti potuerint. Sed in his formulis constans est particularum οὐδὲ, κοὐκ, τε — κοὐκ usus, ut docent ii, quos modo nominavi, non reperitur ἀλλ' οὐκ: et particulae ἂν ab istis interpretibus adeo non est habita ratio, ut prorsus eam neglexisse videantur. Itaque quum quaecunque antecesserunt, breviter his comprehendi liceat: ἢ δέδιτε, ἂν κατὰ τὸν νόμον κρίνητε; ad ἀλλ' οὐκ nihil aliud recte supplebis quam δέδιτε (*at non timetis, si* etc.?), quemadmodum §. 18. post κινδυνεύουσιν ἀπολέσθαι quod sequitur οὐκ flagitat repetitum κινδυνεύουσιν ἀπολέσθαι. Ἂν autem coniunctio est et ἂν παρὰ τὸν νόμον (sc. κρί-

νητε) accurate respondet antecedenti: ἂν κατὰ τὸν νόμον κρίνητε. Sic igitur huius illorum verborum partis haec exoritur sententia: *Adeone cupiditate occaecati estis, ut quidquam periculi putetis esse, si iudicio ex lege exercendo paullo plus temporis insumatis? contra nihil timeatis, si contra legem agatis, in quo timoris causa est vel maxima?"* — In reliquis verbis paulo minus certus sum: tamen crescit animus, si quo viri docti aberraverint considero, qui id fere fecerunt, quod Weiskius faciendum censet, ut quot exstant verba, totidem coniectura supplerent. At hos conatus ex Schneidero, qui ipse nihil ad expediendas has difficultates contulit, cognosci licet. Dindorfius ita scripsit: Ἀλλ' ἴσως ἄν τινα καὶ οὐκ αἴτιον ὄντα ἀποκτείναιτε, μεταμελήσει δὲ ὕστερον. Ἀναμνήσθητε etc., reliqua enim intacta reliquit, praeterquam quod ἀνθρώπου pro ἀνθρώπους posuit. Quod ἀποκτείναιτε exhibuit, id coniectura sane perfacili fecit: in verbis Ἀναμνήσθητε etc. tantum verecundia quadam videtur prohibitus esse, quominus cum Iacobsio corrigeret: Ἀλλὰ μνήσθητε: vix enim ipse hanc sententiam sine ulla coniunctione adiungi posse putaverit. Idem autem Iacobsius vidit subiectum deesse, interposuit igitur inter ἤδη et ἐστί pronomen τοῦτο: nec vero is sic, quid ἤδη significaret, sciverit. Equidem mutatione tam levi, ut fere pro nulla habenda sit, ita locum restituo:

Ἀλλ' ἴσως ἄν τινα καὶ οὐκ αἴτιον ἀποκτείναιτε· μεταμελῆσαι δὲ ὕστερον ἀναμνήσθητε ὡς ἀλγεινὸν καὶ ἀνωφελές ἤδη ἐστὶ πρὸς δ' ἔτι καὶ περὶ θανάτου ἀνθρώπους ἡμαρτηκότες, i. e. *At fortasse quempiam etiam insontum sic interficiatis* (hoc igitur est, quod timendum sit, idque non minus vere, quam rei apte congruenterque monetur): *sero autem poenitere* (μεταμελῆσαι subiectum est eorum quae sequuntur ἀλγεινὸν καὶ ἀνωφελές ἐστι) *recordamini* (i. e. sentite experientia ede-

cti) *quam id sit acerbum et inutile cum iam per se, tum maxime si sitis in causa capitali lapsi.* Nec aptissimam esse negabis hanc sententiam nec satis facile decurrere: in qua de duobus tantum, de particula ἤδη et de περὶ θανάτου ἀνθρώπους, dubitabis. At ἤδη cum non raro sic ponatur, ut sit, quod dixi: *iam per se* (id exemplis comprobavit Hartungius, Partikeln, Th. I. S. 241., velut Aristot. Rhet. II, 6. p. 73. Sylb.: αἰσχρὸν γὰρ ἤδη τὸ μὴ μετέχειν. Eurip. Heracl. 215.: ἃ δ' ἐκτὸς ἤδη τοῦ προσήκοντός σε δεῖ τῖσαι), tum id hoc loco facilius fertur propter oppositum πρὸς δ' ἔτι. Genitivus θανάτου autem lucem videtur accipere ex comparatione loci Iphig. T. v. 1113.: πάρθενος εὐδοκίμων γάμων i. e. *virgo ad nuptias honestas destinata.* Haec igitur est Xenophontis sententia, ut in hoc quoque meis eam verbis reddam: *At facile sic etiam insontem interficiatis: id autem quum fieri non possit, quin vos aliquando poeniteat, nunc recordamini, quod saepe in vobismet experti estis, quam sit sera poenitentia cum alias acerba et inutilis, tum maxime, si quem insontem interfeceritis, id enim profecto damnum reparari nequit.*

Loco I, 7, 29.: *Μὴ ὑμεῖς γε ὦ Ἀθηναῖοι· ἀλλ' ἑαυτῶν ὄντας τοὺς νόμους, δι' οὓς μάλιστα μέγιστοί ἐστε, φυλάττοντες ἄνευ τούτων μηδὲν πράττειν πειρᾶσθε.*

scribe: ἑαυτῶν ὄντες; nam et subtilius est τοὺς νόμους ἑαυτῶν ὄντας explicare *leges a vobismet ipsis latas*, et his demum verbis, ut nos scripsimus, recte opponuntur §. 33. haec: ἢ θανάτῳ ζημιοῦν πονηροῖς ἀνθρώποις πειθομένους.

Etiam huic loco:

I, 7, 33. *Μὴ τοίνυν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ἀντὶ μὲν τῆς νίκης καὶ εὐτυχίας ὅμοια ποιήσητε τοῖς ἡττημένοις τε καὶ ἀτυχοῦσιν, ἀντὶ δὲ τῶν ἐκ θεοῦ ἀναγκαίων ἀγνωμονεῖν δόξητε, προδοσίαν καταγνόντες ἀντὶ τῆς ἀδυναμίας οὐχ ἱκα-*

ναὺς γενομένους διὰ τὸν χειμῶνα πρᾶξαι τὰ προςταχθέντα,

etiam huic loco inquam non potui quin coniectura succurrerem, ea autem facillima. Quum enim Schneiderus nullam salutem viderit, nisi genitivum προδοσίας corrigendo inferas et ante οὐχ ἱκανοὺς γενομένους articulum τούς interponas, Dindorfius vero prorsus nullam: quanta contra exoritur verborum concinnitas, si praemissa particula ὡς hoc argumento ὡς οὐχ ἱκανοὺς γενομένους διὰ τὸν χειμῶνα πρᾶξαι τὰ προςταχθέντα (i. e. *quum non potuerint propter tempestatem iussa exsequi*) Euryptolemus quasi fulciat, quidquid ipse populum Atheniensem incusavit! Ea autem particula quam facile potuerit propter similem antecedentis vocabuli exitum librariorum incuria intercidere, quum noto illo praecepto critico tuentur Wyttenbach. ad Ecll. hist. p. 356. 389. Schaefer. melet. crit. p. 26. 246. 48. 119. Reisig. Coni. p. 137. 239., tum in ipsa particula ὡς confirmat Jacobs. Addit. ad Athen. p. 2. 151. De Accusativo autem quem vocant absoluto post particulam ὡς v. Matth. Gr. Gr. §. 568. 3.

Transeo ad Librum alterum.

Lib. II. Cap. I. Atque in Capite primo quidem nihil est, in quo ita offendere possis, ut librarii fraudem subesse suspiceris. Sana enim sunt omnia, praeterquam quod §. 9. non video, quomodo τοῦ Ξέρξου ferri possit. Darii enim pater Artaxerxes est, nunquam ille, quantum equidem scio, Xerxes appellatus. Ut autem Ἀρταξέρξου pro τοῦ Ξέρξου scribamus, id facilius probabiliusque iccirco est, quod articulus ante Ξέρξου per se propter proxima verba τοῦ Δαρείου πατρὸς ferri nequit. Quod autem §. 17. Lysander in Hellespontum navigasse dicitur πρὸς τῶν πλοίων τὸν ἔκπλουν, id quum utrumque significare possit et Lacedaemoniis

illum hoc iter expedire et Atheniensibus impeditum reddere voluisse, malim ad hoc quam quo solet ad illud referre. Lysander enim antequam Hellespontum peteret, Deceleae cum Agide collocutus erat, v. Plut. Lys. 9., isque id potissimum ante oculos habebat, ut Athenienses Hellesponto Bosporoque intercluderet, v. Hell. I, 1, 35., Lysandroque idem persuaserit.

Cap. II. III. In capite autem altero tertiove aliquid videtur deesse. Id autem non poterit satis clarum fieri, nisi ipsas res illis capitibus contentas accuratius examinemus Xenophontemque Plutarchi, Diodori, oratorumque huius aetatis Andocidis Lysiaeque comparatione quasi illustremus. His oratoribus quantum fidei haberi possit, infra exponam.

Xenophon igitur narrat, Lysandrum post pugnam, qua apud Aegospotamos debellatum erat, primum Atheniensium socios in fidem recepisse praeter Samum insulam, quae in Atheniensium fide perstabat, deinde eodem fere tempore cum classe centum quinquaginta navium ad Piraeum constitisse, quo pedestres Lacedaemoniorum copiae in Academia castra posuerant. Sic quum Athenienses undique clausi aliquamdiu restitissent, tandem frumenti inopia pressi ab Agide ita pacem petunt, ut socii Lacedaemoniorum fierent. Ab Agide reiecti idem ab ephoris petunt. Frustra: postulabant enim Lacedaemonii, ut muros longos ex parte (ἐπὶ δέκα σταδίους) destruerent eoque urbem a portu seiungerent [1]). Id quum nollent ac vel lege sanxissent, ne fieret: Theramenes in concione pollicetur,

1) Xenophon §. 14. id tantum dicit, legatos ab ephoris iussos esse κάλλιον ἥκειν βουλευσαμένους. Illud tamen legatis responsum esse et Lysias docet (adv. Agor. p. 130. 8.), et significat saltem etiam Xenophon his verbis (§. 15.): προὐκαλοῦντο δὲ τῶν μακρῶν τειχῶν ἐπὶ δέκα σταδίους καθελεῖν ἑκάτερον.

si se ad Lysandrum mitterent, se certo sciturum, Lacedaemoniine illud postulent, ut in servitutem Athenienses redigant, an ut in fide firmius teneant. Sed ipsa huius paragraphi (§. 16.) verba describam: *τοιούτων δὲ ὄντων Θηραμένης ἐν ἐκκλησίᾳ εἶπεν, ὅτι εἰ βούλονται αὐτὸν πέμψαι παρὰ τὸν Λύσανδρον, εἰδὼς ἥξει Λακεδαιμονίους, πότερον ἐξανδραποδίσασθαι τὴν πόλιν βουλόμενοι ἀντέχουσι περὶ τῶν τειχῶν ἢ πίστεως ἕνεκα* [1]. Inde quum quarto mense rediisset (moras traxerat, ut Athenienses quo magis fame premerentur, eo faciliores essent) seseque a Lysandro ad ephoros ablegatum dixisset: cum novem aliis legatus ipse *αὐτοκράτωρ* ad ephoros missus ab his contra Thebanorum Corinthiorumque voluntatem impetravit, ut dirutis longis muris quique Piraeum cingebat (*ὁ Πειραιεύς* enim murum Piraei significat, v. Diod. XII, 107.: *τὰ τείχη τοῦ Πειραιῶς*), navibus traditis praeter duodecim, exulibus reductis dataque fide, se eosdem amicos hostesque habituros Lacedaemoniisque quoties bellum gererent, praesto futuros, pax Atheniensibus concederetur. Atque sic concessa est, *ἀντειπόντων τινῶν αὐτῷ* (*τῷ Θηραμένει*) *πολλῷ δὲ πλειόνων ξυνεπαινεσάντων* (§. 22.), Lysanderque in portum devectus est, exulesque revocati, murique diruti ante initium anni 404, quod notatur §. 24. et Cap. III. §. 1. Proximo autem anno plebes scivit (§. 2.), quum primum muri diruti sunt (§. 11.: *ἐπεὶ τάχιστα τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὰ περὶ τὸν Πειραιᾶ καθῃρέθη*), ut triginta viri ad conscribendas leges,

---

1) Quid sit *ἐξανδραποδίζεσθαι*, expositum est p. 32. Ceterum sic apparet, Theramenem, ut apud Xenophontem est, id, quod pollicitus est, executum esse et effecisse, ut Lacedaemonii id concederent, quo plus iam tum Athenienses ne ausi quidem essent exspectare. Vere enim muros diruerunt *πίστεως ἕνεκα*.

ex quibus respublica administraretur, crearentur. Id autem quum factum esset (§. 3.), Lysander Samum profectus est, Agis pedestrem exercitum dimisit, eodem tempore (§. 4.), quo Lycophron Pheraeus Thessalos proelio devicit περὶ ἡλίου ἔκλειψιν, quam ex tabulis astronomicis monente Dodwello aliisque patet a. d. III. Nonas Septembris accidisse, et quo Dionysius (§. 5.) a Carthaginiensibus victus Gelam Camarinamque amisit Leontiumque ab ipso descivit. Lysandro autem Samos traditur: quo facto Spartam redit exeunte aestate (τελευτῶντος τοῦ θέρους, §. 9.). Samii autem urbem non tradiderunt, nisi quum Lysander urbem circumvallasset impetumque facturus esset (§. 6.).

Ad haec qui satis attenderit, iam viderit Xenophontem a vere anni 404 repente transilire ad auctumnum. Quum enim vere Athenae traditae essent, subito auctumnus est, eodemque auctumno Samos traditur, quamquam haud brevi spatio opus fuerit ad efficienda ea, quae supra monstravi §. 6. contineri, ut urbs circumvallaretur operaque ad eam expugnandam admoverentur. *Scilicet muris dirutis non statim sunt creati isti triginta tyranni, sed Lysander, quum ipsis Atheniensibus res suas recens constituendas reliquisset, Samum profectus urbem circumvallavit in eoque plures menses consumpsit, donec Athenis ab oligarchis ita ex composito omnia praeparata essent, ut redire posset Atheniensibusque, qui rebus mire illorum oligarchorum consilio turbatis animum abiecissent, istos tyrannos imponere: quo facto, factum autem est auctumno, Samum rediit urbemque iam ante obsidione pressam brevi cepit.* Id ita fuisse, ex Plutarcho, Diodoro, oratoribus apparet, nec Thucydides V, 26. col. II, 2.

repugnat: is enim quod bellum paucos tantum dies ultra viginti septem annos durasse, ipsumque igitur finem belli, quod primo vere coeperit, vere accidisse testatur, muros dirutos dicit, non triginta tyrannos impositos: haec enim ipsius verba sunt: *μέχρι οὗ τήν τε ἀρχὴν κατέπαυσαν τῶν Ἀθηναίων Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι καὶ τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέλαβον.* Ita nihil ille impedit, quominus tyrannos auctumno creatos dicamus. Antequam autem quid isti de ipsa pace contineant videamus, pauca quaedam de iis moneam, quae pacem antecesserunt.

De ipsa clade apud Aegospotamos accepta, quum Thucydides (II, 65.) tantum suspicionem moveat, Xenophon autem (II, 1, 32.) solum Adimantum proditionis accusari ab aliis memoret, sic apud Lysiam affirmatur, ut non unum Adimantum, nec solos reliquos duces praeter Cononem, sed magnum Atheniensium civium numerum, eorum, quos *ἑταίρους* vocat, hoc crimine teneri appareat. Sic enim ille de tota hac multitudine (adv. Eratosth. §. 36.): *οἳ ἰδιῶται μὲν ὄντες καθ᾽ ὅσον ἐδύναντο ἐποίησαν ἡττηθῆναι ναυμαχοῦντας*, et (§. 39.): *ναῦς ὅπου τοσαύτας ἔλαβον, ὅσας αὐτοὶ παρέδοσαν;* Ac sane sic demum apparet, et quomodo Alcibiadis consilium ab omnibus repudiatum sit (Plut. Alc. 37.) et quomodo non solum reliqui duces omnes tanta socordia rem gerere, sed etiam Conon solus suos milites in officio continere potuerit.

Iidem autem *ἑταῖροι*, qui Lysandrum ad moenia urbis adduxissent, nihil praetermiserunt, ut urbem ipsam ei traderent. Incredibilis sane esset Atheniensium populi temeritas, si sic factum esset, quemadmodum Xenophon narrat, ut Therameni suam salutem sponte committerent: nisi quasi invitos eos eo adductos esse sciremus. At vel sic incredibilem temeritatem clamat Lysias adv. Erat §. 69. sqq. Scilicet illi *ἑταῖροι*

quasi alteram civitatem in civitate condiderant; qui rebus suis praeessent, quinque ephoros constituerant; his ut phylarchos crearent, mandaverant, qui veneni instar proditionem in concionem instillarent: ut quum Theramenes illud offerret, non Athenienses ipsi, sed illi proditores munus perniciosum ad eum detulisse videantur. Haec est Lysiae narratio (l. l. §. 43—45.), nec credibile est, quod Hermannus efficere studet (Staatsalterth. §. 168, 1.), illos ephoros publice constitutos esse: nam quod Lysias sic de iis dicit: πέντε ἔφοροι κατέστησαν — ἐναντία τῷ ὑμετέρῳ πλήθει πράττοντες, ipsum participium praesentis indicat, eo consilio ac quasi nomine illos constitutos esse, ut plebi adversarentur. Accedit, quod ad comprobandam rem testes evocat, quum in rebus publice gestis ipsos auditores soleat testes dicere, velut §. 74.: καὶ τούτων ὑμᾶς αὐτοὺς μάρτυρας παρέξομαι. Ita etiam apparet, quomodo idem Lysias dicat (§. 63. 68. 70.), non Lacedaemoniorum iussu, aut Atheniensium permissu moenia diruta esse, sed Lysandri Theramenisque consiliis: nam etiam Lysandrum magis suo arbitrio quam publica auctoritate egisse (quamquam id fieri non poterat, nisi si ephoros sibi conciliasset), inde probabile fit, quod Pausanias anno post tam contraria Lysandro consilia persecutus est [1]).

Deinde, quomodo quum pax iam concessa esset, triginta virorum imperium constitutum sit, narratur

1) Pausanias post Lysandrum in Atticam profectus est, ut videtur, quum auctumno novi ephori, quorum tres ipsi favebant, in eorum locum successissent, qui cum Lysandro fecerant, v. Hellen. II, 4, 29. Id fieri potuisse, ut cum novis ephoris etiam rerum externarum administrandarum cura novaretur, cum per se probabile sit, tum Thucydidis exemplo (V, 36.) confirmatur.

l. l. §. 71—76.: Theramenem omnia reipublicae recens constituendae consilia praevertisse, ut in summa omnium rerum perturbatione populum magis propensum haberet (notum est, eodem callido consilio oligarchos anni 411. res publicas turbasse, v. Thuc. VIII, 66. sqq.): donec Lysander cum classe Samo ab ipso arcessitus advenisset (καὶ μετεπέμψατο μὲν τὰς μετὰ Λυσάνδρου ναῦς ἐκ Σάμου, ἐπεδήμησε δὲ τὸ τῶν πολεμίων στρατόπεδον, §. 71.): his autem Spartanorum copiis nisum eum ita illud imperium constituisse, ut decem ab ipso, decem ab illis quinque ephoris crearentur, reliqui ex iis, qui in concione adessent, adiicerentur: aderant autem solum ii, qui cum Theramene consentiebant, v. §. 75.

Haec est Lysiae narratio, qua id quod supra posui, satis confirmatur. Alios possem ex oratione adversus Agoratum locos adiicere, nisi plane supervacaneum ducerem. Atque cum hac Lysiae oratione Plutarchus Diodorusque ita consentiunt, ut triginta tyrannos auctumno creatos dicant (v. Plut. Lys. 14. 15. Diod. XIII, 107.), quamquam hi etiam urbem auctumno demum traditam putant. Lysandrum enim contra Samum expeditionem fecisse, antequam Athenae traderentur, parvo tantum navium numero ad includendam urbem relicto: atque inde illum a Theramene arcessitum auctumno et urbem cepisse et triginta tyrannos imposuisse. Urbs capta auctumno esse nequit propter Thucydidem: id unum igitur restat, ut auctumno tyrannos creatos esse narrent sicque Lysiae narrationem confirment [1].

---

1) Sane nisi Thucydides obstaret, magis in Plutarchi Diodorique testimonium inclinarem, quia et causa, cur Lysander ab Athenis discesserit, per se satis probabilis est, — tanta enim navium copia, quum obsessio traheretur, non opus erat, ob eamque

Denique vel si nec Plutarchum Diodorumque nec oratores Atticos haberemus, propter ipsum Xenophontem cogeremur tyrannos non vere, sed auctumno, non Munychione mense, sed Boedromione demum constitutos dicere. Illi enim teste ipso Xenophonte (II, 4, 21.) imperium per octo menses obtinuerunt: sequeretur igitur, si Munychione mense munus auspicati essent, eos mense Posideone i. e. media hieme abdicasse. Simulatque autem abdicarunt, cum classe Lysander venit, ab ipsis arcessitus (§. 28.), Thrasybuli autem milites „προνομὰς ποιούμενοι καὶ λαμβάνοντες ξύλα καὶ ὀπώραν ἐκάθευδον πάλιν ἐν Πειραιεῖ (§. 25.)“, quod utrum-

---

causam pars bene poterat contra Samum dimitti —, et si pugna apud Aegospotamos mense Decembri commissa est, sic demum satis longum obsidionis tempus existit, ut omnia ea, quae Xenophon narrat, complecti possit. Quomodo autem Plutarchi Diodorique error nasci potuerit, facile intelligitur: putabant enim novam reipublicae formam inducendam fuisse simulatque urbs tradita esset. Apud Plutarchum ipsi videntur illi duo dies, moenium dirutorum dico et triginta virorum constitutorum, distingui posse, quum et Munychionis diem decimum sextum dicat et victoriae Salaminiae diem, quo utrumque factum sit, v. C. 15. Ille enim veris est, hic auctumni: quum igitur moenia illo die diruta, hoc triginta tyrannos creatos reperiret, male utrumque confudit. Eum autem, qui Herodotum legerit, de pugnae Salaminiae die ita falli potuisse, ut veri eum adscriberet, quemadmodum Clintonus putat ad a. 480, vix credibile est. — Ceterum operae pretium est, ex Diodoro cognoscere, qua fraude Theramenes Athenienses deceperit, tanta, ut etiam Diodorus ea se decipi passus sit. Diodorus enim, quem Theramenis laudatorem esse constat, quum Lysander iterum ad constituendos tyrannos Athenas venisset, Theramenem minis tantum eo adigi potuisse narrat, ut cederet (XIII, 107.): ἀντεῖπατο (ὁ Λύσανδρος) τῷ Θηραμένει τὰς μεγίστας ἀπειλὰς ἀποκτενεῖν φήσας εἰ μὴ παύσεται Λακεδαιμονίοις ἐναντιούμενος. Eoque plebs decipitur, ut Theramenem inter tyrannos legat: nam apud Diodorum quoque plebs legit.

que hieme fieri nequit. Contra hiems est, quum iidem Thrasybuli milites paulo post institutum illud imperium Phylen occupant (§. 3.). Deinde non multo post Lysandrum Pausanias venit (nam si diutius moratus esset, Lysander Thrasybulum oppressisset): eum autem non potuisse ante auctumnum mitti, antequam novi ephori iis, qui cum Lysandro faciebant, successissent, saltem probabile est, v. p. 46. Denique quum Pausanias non diu adfuisset, pace conciliata Thrasybulus cum exulibus urbem ingreditur: quod auctumno anni 403. factum esse, auctor Plutarchus est, qui Boedromionis die duodecimo illius reditus memoriam celebrari solitam esse testatur de glor. Ath. p. 7. Quod ita demum recte computari potest, si Boedromione anni 404. tyrannos constitutos et Thargelione vel Scirophorione proximi anni depulsos dicas.

Ex his omnibus igitur id consequitur, quum vere anni 404. urbs tradita esset, Lysandrum in Samum navigasse dicendum fuisse, deinde a Theramene arcessitum iterum Athenas venisse, atque constitutis demum triginta tyrannis Samum rediisse, ut bellum hoc finiret. Hunc reditum puto paragrapho 6. contineri, nam ante hanc paragraphum auctumnus iam notatus est §. 4. et §. 5. Illa autem quae a vere usque ad auctumnum gesta sint, puto inter §. 1. et §. 2. intercidisse. Hoc loco si pauca illa suppleas, omnia optime se habebunt praeter haec verba §. 11.: Οἱ δὲ τριάκοντα ᾑρέθησαν μὲν ἐπεὶ τάχιστα τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὰ περὶ τὸν Πειραιᾶ καθῃρέθη: ex quibus si haec: ᾑρέθησαν — καθῃρέθη deleveris particulamque δὲ post αἱρεθέντες sustuleris, nihil, quod offendere possit, remanebit. Sic simul aliud quiddam tollitur, quod satis molestum est, verbum αἱρεῖσθαι dico ter positum.

Restat, ut in his capitibus pauca quaedam de singulis locis adiiciam. Cap. II. §. 3. igitur post Weiskium

kium Schneiderus *αὐτοί* transponendum esse iudicavit. Falso: verba enim, ut libri manuscr. ea exhibent, haec sunt: *οὐ μόνον τοὺς ἀπολωλότας πενθοῦντες ἀλλὰ πολὺ ἔτι μᾶλλον αὐτοὶ ἑαυτοὺς πείσεσθαι νομίζοντες.* Ad *αὐτοὶ ἑαυτούς* igitur intellige *πενθοῦντες*, et sententia non tantum bene se habet, sed vel melius quam antea: *Non solum eos, qui apud Aegospotamos cecidissent, sed multo etiam magis se ipsi lugebant, quia putabant, se passuros esse etc.*; *πείσεσθαι νομίζοντες* causam continet, cur se ipsi lugeant. Miror etiam Dindorfium in hoc loco haerere.

§. 13.: *ἐν Σελλασίᾳ πλησίον τῆς Λακωνικῆς*] oppidi Sellasiae situm O. Müller, Dor. 2, 450. e consentientibus veterum scriptorum testimoniis ita describit, ut nulla esse possit dubitatio, quin ipsius Laconicae fuerit. Recte igitur multi in hoc Xenophontis loco offenderunt, quo prope Laconicam sita esse dicitur. Equidem nihil video de hac re, nisi forte Laconica apud Xenophontem angustiorem significationem habeat exclusa ea regione, quae Sciritis appellabatur, in qua sita erat Sellasia. Id aliquam veri speciem inde nanciscitur, quod VI, 5, 24. Sciritis separatim nominatur, quodque ibidem §. 27. ita Arcades in Laconicam proficisci narrantur, ut eo pervenire videantur demum, ubi e Sciritide in aequum descenderunt. Id quoque non alienum est, quod ipsi Sciritae in exercitu solebant a reliquis Lacedaemoniis discerni, v. O. Mueller., l. l. 2, 242.

In capite tertio §. 19. iam refutavit Dindorfius eos, qui lacunam esse statuerent, §. 27. autem miror, etiam hunc rectum non vidisse. In verbis enim his: *ὡς δὲ ταῦτα ἀληθῆ ἢν κατανοῆτε εὑρήσετε οὔτε ψέγοντα οὐδένα μᾶλλον Θηραμένους τουτουῒ τὰ παρόντα οὔτε ἐναντιούμενον, ὅταν τινὰ ἐκποδὼν βουλώμεθα ποιήσασθαι τῶν δημαγωγῶν*, et reliqui interpretes et Dindorfius aliquid addendum esse censent. Iunge sic: *ὡς ταῦτα ἀληθῆ, εὑρήσετε, ἢν κατα-*

νοῆτε οὔτε φεύγοντα οὐδένα μᾶλλον Θηρωμένους etc.: quo modo omnia aperta fiunt.

Cap. IV. In capite quarto post Dindorfium pauca tantum quaedam et minuta habeo, quae moneam. §. 8. ita legitur: ἐξέτασίν τε ποιήσαντες ἐν τοῖς ἱππεῦσι φάσκοντες εἰδέναι βούλεσθαι, πόσοι εἶεν καὶ πόσης φυλακῆς προςδεήσοιντο, ἐκέλευον ἀπογράφεσθαι πάντας. In his Dindorfius ἐν τοῖς ἱππεῦσιν explicat *cum equitibus*: nec vero video, quomodo hunc usum tueri velit (nam quod Cyrus, Cyrop. II, 4, 1., ἐξέτασιν ἐν τοῖς ὅπλοις fecisse dicitur, si id vertere velis *cum armis*, tamen profecto longe aliud est, atque hoc loco), et si id per se admitti possit, tamen iccirco probari nequit, quod illam lustrationem non fecit cum equitibus, qui, ut paulo post commemoratur, extra portas sunt. Imo haec est sententia: *Quum equites (Eleusiniorum) primum lustrassent, mox ut scirent, quot illi essent et quanto praesidio opus esset, omnes iusserunt in tabulas referri sive lustrari*: πάντες igitur equitibus opponuntur, quos antea solos lustraverant.

Haec igitur de singulis locis. Sic autem quum ad finem huius meae commentationis capitis pervenerim: non video, ubi commodius possim quaedam ad historiam pertinentia adiicere, quam si huic capiti ea subiungam. Quamquam enim haud pauca Sieversius in commentatt. illis repperit, quae a Xenophonte omissa aliquid ad hos annos illustrandos conferant: non omnem tamen aliis disputandi materiam praeripuit. Aliqua etiam ita posuit, ut non prorsus assentiar. Quamquam quid hoc ad me? qui quum longe aliud quid agam, quam ille, venia opus habeam, si quid, quod non prorsus concinit cum consilio meo, de illius aetatis rebus admisceam.

Dicam autem de eo, de quo nihil dici posse plerumque affirmatur, qualis illa aetate, quae duobus prioribus Hellenicorum libris continetur, reipublicae Atheniensium forma fuerit.

Postquam igitur anno 411. quadringenti illi tyranni imperio depulsi sunt, Thucydides testatur temperatam quandam democratiae speciem inductam esse, nec vero de hac democratia quidquam ex Thucydide discimus, quam quod rerum summa quinquies mille civibus tradita est, qui profecto nihil aliud poterant quam comitia habere pristinaeque populi concionis (τῆς ἐκκλησίας) locum obtinere. Nihil igitur de senatu, nihil de archontibus, nihil de ullo magistratu discimus: id unum adiicit, nomothetas creatos esse. Haec enim eius verba sunt (VIII, 95.): *νομοθέτας καὶ τἄλλα ἐψηφίσαντο ἐς τὴν πολιτείαν.*

Iam si Niebuhrii auctoritas ea esset, quae infringi nullo modo posset, facili rem negotio transigerem. Quum enim ille sic statuat, quoties apud veteres Graecos Romanosve viris ad id negotium lectis reipublicae legibus recens constituendae cura commissa sit, id ita factum esse, ut non modo reliquorum magistratuum, sed etiam ipsius populi auctoritas tolleretur [1]); si demonstrari posset, ut demonstrabo, illos nomothetas munus suum usque ad belli finem continuasse, appareret, non amplius ambigi posse, aristocratica an democratica per totum illud tempus reipublicae forma fuerit: nulla enim fuisset. Non alienum igitur erit, hoc loco pauca generatim de hac re disputare: quamquam Niebuhrii sententia ipso illo Thucydidis capite

---

1) Röm. Gesch. B. 2. S. 351.: „*Im Alterthum hatten die zur Gesetzgebung Berufenen allemal die ganze Regierung, wie Solon, und die, welche von ihren Thaten den Namen der dreissig Tyrannen führen*“.

refutatur, quo illorum quinque millium imperium affirmatur. Niebuhrius Solonis et triginta tyrannorum exemplis utitur: neutro satis recte. Nam Solon ipse archon fuit, quum leges daret, et ea aetate vixit, de qua perpauca de republica Atheniensium constent: triginta tyranni autem nec soli res publicas administrarunt (sibi adiunxerant enim senatum ter mille civium) nec vero recte *νομοθέται* appellantur, sunt enim *πρόβουλοι*, de quibus Aristot. Pol. VI, 5, 13. sic: *Τριῶν δ᾽ οὐσῶν ἀρχῶν, ἃς αἱροῦνταί τινες ἀρχὰς τὰς κυρίους, νομοφυλάκων, προβούλων, βουλῆς, οἱ μὲν νομοφύλακες ἀριστοκρατικὸν, ὀλιγαρχικὸν δ᾽ οἱ πρόβουλοι, βουλὴ δὲ δημοτικόν*, solo potestatis abusu diversi illi ab iis, quos post cladem Siciliensem constitutos esse testatur Thuc. VIII, 1. [1]).

Ipsorum autem nomothetarum duplex genus est, alterum eorum, qui ex Solonis praescripto quotannis ad supplendas leges hoc munere fungebantur, numero milleni, de quibus v. Schoemann. de com. Ath. pp. 250. 257., alterum eorum, qui republica turbata cum extraordinaria potestate non praestituto imperii tempore a populo creabantur: quorum nomothetarum unum tantum exemplum post expulsos triginta tyrannos novit Schoemannus l. l. p. 270.: alterum exemplum nos adiicimus eorum, qui anno 411. post quadringentos tyrannos imperio deiectos constituti sunt: qui, quum hoc tempore creati essent, vi potestatem suam obtinuerunt, donec Athenae ab hostibus captae sunt: audi enim Lysiam de Nicomacho, qui unus ex istis nomothetis fuit, ita loquentem (adv. Nic. p. 183. §. 2.): *Προσταχθὲν γὰρ αὐτῷ τεσσάρων μηνῶν ἀναγράψαι τοὺς νό-*

---

1) De his probulis egit, ut solet, accuratissime C. G. Kruegerus, l. l. pp. 273. 375. 377.

μους τοῦ Σόλωνος ἀντὶ μὲν Σόλωνος αὑτὸν νομοθέτην κατέστησεν, ἀντὶ δὲ τεττάρων μηνῶν ἑξέτη τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο — πρότερον ἡ πόλις εἰς τὰς μεγίστας συμφορὰς κατέστη πρὶν τοῦτον ἀπαλλαγῆναι τῆς ἀρχῆς, cf. p. 184. §. 11. 12., unde apparet, eum, quum iam obsessa urbs teneretur, nondum munere suo abdicasse. At unus Nicomachus hoc loco appellatur: scilicet quamquam plures fuerunt, tamen quod solum Nicomachum nunc accusat, etiam hanc culpam a pluribus contractam in solum illum confert. Idem nomothetarum genus illo tempore fuisse quod post bellum Peleponnesiacum, inde apparet, quod illi nomothetae cum his ita in eadem oratione componuntur (§. 4.), ut hi illorum munus continuasse resque ab illis inceptas ad finem perduxisse videantur. Ipse Nicomachus iterum creatus est, et nunc quoque licenter egit [1]).

De his igitur nomothetis, quos et ante finem belli et post bellum eiusdem generis fuisse demonstravi, hoc apud Andocidem (de Myst. §. 83.) psephisma exstat: Ἔδοξε τῷ δήμῳ — πολιτεύεσθαι τοὺς Ἀθηναίους κατὰ τὰ πάτρια, νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῦ Σόλωνος — · ὁπόσων δ' ἂν προςδέῃ, οἵδε ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγράφοντες ἐν σανίσιν ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς ἐπωνύμους,

1) Quod inter hos nomothetas Nicomachus ab aliis, qui ἄρξαντες appellantur, in eadem paragrapho ita distinguitur, ut hi singulis mensibus rationem dedisse dicantur, ille nunquam eo adduci potuisse, ut id faceret: videntur illi quingenti nomothetae — tot enim erant, ut ex Andocide discimus — in plures partes divisi fuisse, suumque quaeque pars praefectum habuisse. In quo non possum quin suspicer hos praefectos eosdem esse, qui apud Andoc. de Myst. §. 81. ἐπιμεληταί appellantur et ante ipsos nomothetas a senatu creati esse dicuntur. Ita si statuas, suamque cuique praefecto legum ferendarum partem attributam fuisse dicas: sane suo ipsius nomine Nicomachus accusari potuerit.

σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ καὶ παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνί· τοὺς δὲ παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι, οὓς οἱ δημόται εἵλοντο, ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν· — ἐπειδὰν δὲ τεθῶσιν οἱ νόμοι ἐπιμελείσθω ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου τῶν νόμων, ὅπως ἂν αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται. Ex his verbis apparet, suum singulis magistratibus locum, eandemque reipublicae administrationem fuisse, quam ante: idem autem Andocides (§. 81.) docet, quod per se probabile est, donec leges latae essent, nihil novatum esse: quidquid enim novari cuperent, id solebat differri, ut ipsis Andocidis verbis utar, ἕως ἂν οἱ νόμοι τεθεῖεν. Idque est, quo in meam rem usurus eram. Inde enim consequitur, eam reipublicae formam, quam anno 411 Thucydides inductam esse narrat, temperatam quandam democratiam dico, tamdiu retentam esse, quam nomothetae in legibus examinandis dandisque versati sunt, hoc est usque ad belli finem. Ipse autem Thucydides significat, ipsa hac forma temporis decursu eos, qui reipublicae praeessent, abusos esse, quod dicit (VIII, 97.): οὐχ ἥκιστα δὴ τὸν πρῶτον χρόνον ἐπί γε ἐμοῦ Ἀθηναῖοι φαίνονται εὖ πολιτεύσαντες, apparet enim quod sic dicit posterioribus annis ei hanc formam minus placuisse: quod cum istis Lysiae locis bene concinit [1]).

Quomodo autem oratorum testimoniis utendum est? nam et supra usus sum, et nunc utor, ut quaestionem iam supra motam non amplius effugere pos-

1) Id C. Fr. Hermanno obiici poterit, qui (l. l. §. 167.) iccirco putat pristinam ochlocratiam sublata hac temperatiore forma restitutam esse, quod sic demum appareat, quomodo praetores ii, qui ad Arginusas Lacedaemonios vicerant, damnari potuerint. Ita enim ista forma degeneraverat, ut etiam sic damnari possent.

sim. Paucis respondeam. Recte eum uti existimo, qui seligat, quae nec ita multo ante et publice acciderint: in quibus oratorem non posse mentiri, etiamsi velit, facile intelligitur. Tamen vel in his aliqua cautio adhibenda est, si ea, quibus uti velis, ad causam, quam agit orator, pertinent. Id si sit, necesse est et in mentem oratoris penetres, ut quid ille mentiri velit, si possit, intelligas, quod fieri non poterit, nisi multum in oratorum lectione volutatus sis, et vero ipsorum temporum rationes auditorumque voluntates noveris, ut quantum mendacii quasi et istae rationes et hae voluntates admittant, suspicari possis. In temporibus longinquioribus quam nihil fidei oratoribus haberi possit, uno pacis Cimoniae exemplo a Dahlmanno explicato ita videtur constare, ut neminem plura exempla desideraturum esse existimem.

Cap. II.

DE NOTIS ANNORUM, QUAE IN DUOBUS PRIORIBUS LIBRIS SUNT.

Notas chronologicas, quas supra brevitatis causa sic appellavi, quum singulos locos percurrerem, omisi, ut separatim tractarem. Multum enim ad rem meam facere videntur. Ut eae nunc sunt, Xenophon videtur historiarum suarum initium ab exeunte anno 409 facere. Prima enim anni notatio est I, 2, 1. haec: *Τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει, ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς τρίτη καὶ ἐννενηκοστὴ, ᾗ προςτεθεῖσα ξυνωρὶς ἐνίκα Εὐαγόρου Ἠλείου, τὸ δὲ στάδιον Εὐβότας Κυρηναῖος, ἐπὶ ἐφόρου μὲν ὄντος ἐν Σπάρτῃ Εὐαρχίππου, ἄρχοντος δὲ ἐν Ἀθήναις Εὐκτήμονος*, qua non tantum Olympias numerata nonagesima tertia, sed etiam

ephori archontisque nomen annum 408 luce clarius designat. Quae igitur Cap. I. narrantur, quum unius hiemis ineuntisque veris sint, ad annum 409 primosque anni 408 menses pertineant necesse est. Deinde loco I, 3, 1. consignatur non minus manifesto annus 407, nulla dein anni notatio est usque ad locum I, 6, 1., quo annus 406 incipere dicitur: ut omnia, quae I, 3, 1 — I, 6, 1. narrantur, unius anni esse videantur. Iam II, 1, 10. annus 405 et II, 3, 1. denique annus 404 consignatur.

Post ea autem, quae a viris, quos supra nominavi, Dodwello, Marshamo, Haackio, Clintono (Clintonum dico a C. G. Kruegero haud raro, ut in ipsis his annis, emendatum) exposita sunt, nulla dubitatio est, quin Xenophon ab anno 411 (Ol. XCII, 2. ordiatur, ita ut locis:

I, 2, 1. annus 410 (Ol. XCII, 3.),
I, 3, 1. annus 409 (Ol. XCII, 4.),
I, 4, 1. annus 408 (Ol. XCIII, 1.),
I, 5, 1. annus 407 (Ol. XCIII, 2.)

consignandus fuerit. Reliqui anni recte numerantur sic:

I, 6, 1. annus 406 (Ol. XCIII, 3.),
II, 1, 10. annus 405 (Ol. XCIII, 4.),
II, 3, 1. annus 404 (Ol. XCIV, 1.).

Id unum in his falsum est, quod I, 6, 1. belli anni viginti quatuor numerantur, quum sint viginti quinque, et II, 1, 10. viginti quinque, quum viginti sex sint.

Haec, quae modo exposui, ita certa sunt, ut ne verbulum quidem adiiciam. Singulas res si quis cognoscere velit, quomodo per istos annos distribuam, meas chronologicas Graecae historiae tabulas adeat [1]). Ap-

---

1) Zeittafeln der griech. Gesch., mit beständiger Beziehung auf die Quellen, Halle 1835.

paret igitur partem ex istis notationibus falsam esse. Non recte autem fecerunt, qui iccirco omnes delendas additis insuper paragraphis II, 3, 9—10. censuerunt. Idque, antequam longius progrederer, demonstrandum mihi esse existimavi.

At Olympiadum commemorationem isti ferri non posse clamant: ex Polybio enim constare, primum Timaeum ad designandos annos Olympiadibus usum esse. Et vero in loco II, 3, 9—10. tanta vitia chronologica inesse, ut hae paragraphi a Xenophonte non possint originem traxisse. Sed de Olympiadibus ita tantum concederem, si Xenophon iis sic usus esset, ut post Timaeum Polybius Diodorus aliique usi sunt, hoc est si in quovis anno non Olympiades ipsas solum, sed etiam annos interpositos notasset. Ut nunc est, Xenophon nihil aliud fecit, quam Thucydides, qui non minus saepe, quam ille, Olympiadas commemorat locis his (III, 8.): *ἦν δὲ Ὀλυμπιὰς ᾗ Δωριεὺς Ῥόδιος τὸ δεύτερον ἐνίκα*, et (V, 49.): *Ὀλύμπια δ' ἐγένετο τοῦ θέρους τούτου, οἷς Ἀνδροσθένης Ἀρκὰς παγκράτιον τὸ πρῶτον ἐνίκα.* Apud Xenophontem idem non modo, sed etiam eodem modo fit I, 2, 1. II, 3, 1.[1]) Locum autem II, 3, 9 — 10. infra demonstrabo nec laborare iis vitiis, quae sanari prorsus nequeant, et vero talem esse, qui non sine summa vi evellatur.

Sic autem, quum illi non iam dicere possint, si hae istarum notarum partes eiiciantur, facile totum eiici, sic, inquam, ut mea argumenta explicem, cur id nolim fieri,

---

1) Haec M. H. E. Meyero debeo, quem magna cum veneratione appello. Is enim Thucydidis locos primus, quod sciam, sic monstravit in encyclopaedia Halensi s. v. Olymp.

primum per se summa videtur esse audacia, quod illae notae duobus locis (I, 2, 1. 3, 1.) falso positae sunt, eas quinque locis delere.

Deinde quum illi demptis ephororum archontumque nominibus et quidquid praeterea ad singulos annos consignandos adiectum est, istas tamen formulas intactas relinquant; *τῷ ἐπιόντι ἔτει*, *τῷ ἄλλῳ ἔτει* et sim., non apparet, quomodo Xenophon quinque annorum initium sic notare potuerit, in duobus reliquis (I, 4, 1. 5, 1.) autem eam notationem omittere. Alia res est in reliquis libris, in quibus Xenophon non sequitur annorum ordinem: id autem qui faciat, neminem reperio, quin singulorum annorum initium accurate notaverit. Ex hoc argumento id consequitur, non recte illos rem de istis notationibus sic confectam putare. Simul id colligitur, si quis ita Xenophonti succurrat, ut sua cuique anno notatio sit, rectius id fieri, vel si non minus audacter fiat.

Denique in libri secundi capite tertio nec §. 1. ephori archontisque nomina nec §. 9. 10. totae deleri possunt, nisi omnia turbare velis. Paragraphus 1. enim haec est: *Τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει ἐν ᾧ ἦν Ὀλυμπιάς, ᾗ τὸ στάδιον ἐνίκα Κροκίνας Θετταλὸς, Εὐδίκου ἐν Σπάρτῃ ἐφορεύοντος, Πυθοδώρου δ' ἐν Ἀθήναις ἄρχοντος, ὃν Ἀθηναῖοι ὅτι ἐν ὀλιγαρχίᾳ ᾑρέθη οὐκ ὀνομάζουσιν, ἀλλ' ἀναρχίαν τὸν ἐνιαυτὸν καλοῦσιν. Ἐγένετο δὲ αὕτη ἡ ὀλιγαρχία ὧδε* etc. Ut nunc verba sunt, anacoluthon habemus, quod interpositis genitivis absolutis: *Εὐδίκου — ἐφορεύοντος, Πυθοδώρου δὲ — ἄρχοντος* excusatur: Pythodori enim nomini annectitur membrum: *ὃν Ἀθηναῖοι — ἀναρχίαν — καλοῦσιν*: a vocabulo *ἀναρχία* autem novo quasi impetu facto narratio sic continuatur: *Ἐγένετο δὲ* etc. Iam eiice Eudici Pythodorique nomina: non poteris profecto, si Pythodorum eieceris, retinere illud membrum, quod modo dixi a Pythodori nomine pendere. Num igitur

sic scribes: *Τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει· Ἐγένετο δ' αὕτη ἡ ὀλιγαρχία ὧδε?* Non facilius autem in eodem capite caremus paragraphis 9 et 10., quae Clintono tam necessaria visa sunt (Fast. Hellen. p. 274.), ut quum reliqua eius generis omnia Dodwellum sequens eiiceret, haec sola retinenda putaverit. Isto enim loco, cuius difficultates mox expediam, omnis de Lacedaemoniorum expeditionibus maritimis, de ipso bello Peloponnesiaco Xenophontis narratio finitur, quod vix fieri posse puto, nisi quadam legentibus data quasi respiratione, ut datur, si totius belli decursus sic proponitur. Accedit quod non video, quis post Xenophontem ephororum nomina adiicere potuerit, quae certe a librario vix originem traxerint.

At vero, qui eiecerunt, id non fecerunt nisi necessitate coacti: atque partem ex istis notis ego quoque ferri non posse concessi. Ego vero multo facilius transponendo succurri puto, quo id potissimum profecturus sum, ut quae notae verae sint, eas intactas relinqui liceat. Quomodo autem id faciam, ita, puto, clarissime apparebit, si istas notas suo quamque loco quantum coniectura assequi potuero restituam. Hae igitur sunto:

I, 2, 1.: *Τῷ δ' ἄλλῳ ἔτει ἐπὶ ἐφόρου μὲν ὄντος ἐν Σπάρτῃ Ἰσίου, ἄρχοντος δ' ἐν Ἀθήναις Γλαυκίππου Ἀθηναῖοι μέν* etc.

Delevi Olympiadem et ephori archontisque nomina substitui, qui duobus annis ante fuerunt.

I, 3, 1.: *Τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους — · ἐπεὶ δ' ὁ χειμὼν ἔληγεν, Ἀράκου μὲν ἐφορεύοντος, ἄρχοντος δὲ Διοκλέους ἔαρος ἀρχομένου, δυοῖν καὶ εἴκοσιν ἐτῶν τῷ πολέμῳ παρεληλυθότων* etc.

Nihil mutavi praeter ephori archontisque nomina.

I, 4, 2.: *Τῷ δ' ἄλλῳ ἔτει ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς τρίτη καὶ ἐννενηκοστὴ ᾗ προςτεθεῖσα ξυνωρὶς ἐνίκα Εὐαγόρου Ἠλείου,*

τὸ δὲ στάδιον Εὐβότας Κυρηναῖος, ἐπὶ ἐφόρου μὲν ὄντος ἐν Σπάρτῃ Εὐαρχίππου, ἄρχοντος δ᾽ ἐν Ἀθήναις Ἀντιγένους ἀρχομένου τοῦ ἔαρος πορευομένοις etc.

Transposui huc initium Capitis secundi.

I, 5, 1.: Τοῦ δ᾽ ἐπιόντος ἔτους, Παντακλέους μὲν ἐφορεύοντος, ἄρχοντος δ᾽ Ἀντιγένους ἐτῶν ἤδη τῷ πολέμῳ τεττάρων καὶ εἴκοσι παρεληλυθότων οἱ Λακ. etc.

Transposui huc initium Capitis tertii, adieci annorum belli numerum ex Capite sexto.

I, 6, 1.: Τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἔτει — Πιτύου μὲν ἐφορεύοντος, ἄρχοντος δὲ Καλλίου Ἀθήνησιν, οἱ Λακεδαιμόνιοι, τῷ Λυσάνδρῳ παρεληλυθότος ἤδη τοῦ χρόνου καὶ τῷ πολέμῳ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτῶν, ἔπεμψαν etc.

Annorum belli numerum ex loco II, 1, 7. transtuli, in quo eundem numerum deleo, qui quam non apte illis adiiciatur, si locum inspicias, facile intelliges. Reliqua intactà reliqui: nec magis quidquam muto locis II, 1, 10. et 3, 1. 9 — 10., praeterquam quod huic postremo loco levem quandam coniecturam mox adhibebo, ubi accuratius de eo agam.

Librarium igitur quendam dico, quum nescio quà re deceptus ab anno a. Chr. 409 Xenophontem initium facere statuisset, ita genuinas Xenophontis notas aut delevisse aut transposuisse, ut ista opinio flagitare videbatur. Sustulit igitur in Capitibus IV. et V., in quibus non ita aperta novi anni incipientis vestigia apparerent, et transtulit deletis iis notis, quae ante his legebantur, in Capitum II. et III. initium, excepto annorum belli numero, quem ex Capite quinto in sextum transtulit et ex sexto Capite qui in hoc erat, in proximi libri Caput primum. Unum saltem genuinae chronologiae vestigium in Capite tertio (I, 3, 1.) exstat; in quo, quamquam isti quidem librario annus, quem dixi, a. Chr. 407, belli igitur annus vicesimus quintus

designatur atque ita transacti esse anni viginti quatuor dicendi erant, tamen annorum viginti duorum numerus a Xenophonte ipso positus invito ut videtur librario locum tenuit. Quamquam autem hoc documentum satis grave est, tamen etiam iccirco spero meam transpositionem aliquid habituram esse, cur probetur, quum quod minus audax est quam ille reliquorum criticorum conatus: tum quod semel detecta fraude veritas tam clare elucet, praesertim si reliqua eiusdem fraudis vestigia consideraveris. In istum errorem autem, ex quo quasi e fonte suo illam corruptionem deduxi, quomodo librarius inductus sit, quum supersedere possim quaerere, tamen complures viae facile suspicando investigantur. Aut enim quinque ista capita breviora ei visa sunt, quam quae quatuor quinqueve annnos comprehenderent, aut quod propius ad verum accedere videtur, quum ille inter Mindarum et Cratesippidam nullum nauarchum commemorari videret (classe enim ad Cyzicum perdita nullo opus erat), non ignoraret autem et annuum esse illud imperium et ita ferre Xenophontis consuetudinem, ut nauarchus suo quisque anno nominaretur (v. I, 5, 1. 6, 1. II, 1, 7.), ipso fortasse Diodori testimonio (XIII, 65.), qui Mindaro ait Cratesippidam successisse, eo adactus est, ut istos duos annos, quibus post Mindarum nullus erat novo nauarcho locus, quasi e medio tolleret. Ex quo autem Callicratidas regnum suscepit, quum rectum ordinem non amplius turbare posset, manum retraxit, praeterquam quod annorum belli numeris semel perturbatis vim inferre aliquamdiu perrexit.

Venio nunc ad locum, de quo accuratius me dicturum esse significavi, hunc:

II, 3, 9—10.: *Ταῦτα δὲ πάντα Λακεδαιμονίοις ἀπέδωκε τελευτῶντος τοῦ θέρους, ἐς ὃ ὁ ἑξάμηνος καὶ ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἔτη τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα, ἐν οἷς*

ἔφοροι οἱ ἀριθμούμενοι οἵδε ἐγένοντο· Αἰνησίας πρῶτος, ἐφ' οὗ ἤρξατο ὁ πόλεμος πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει τῶν μετ' Εὐβοίας ἅλωσιν τριακονταετίδων σπονδῶν. Μετὰ δὲ τοῦτον οἵδε· Βρασίδας, Ἰσάνωρ, Σωστρατίδας, Ἔξαρχος, Ἀγησίστρατος, Ἀγγενίδας, Ὀνομακλῆς, Ζεύξιππος, Πιτύας, Πλειστόλας, Κλεινόμαχος, Ἴλαρχος, Λέων, Χαιρίδας, Πατησιάδας, Κλεοσθένης, Λυκάριος, Ἐπήρατος, Ὀνομάντιος, Ἀλεξιππίδας, Μισγολαΐδας, Ἰσίας, Ἄρακος, Εὐάρχιππος, Πανταχλῆς, Πιτύας, Ἀρχύτας, Εὔδικος· ἐφ' οὗ Λύσανδρος πράξας τὰ εἰρημένα οἴκαδε κατέπλευσεν.

Quomodo igitur — hae enim sunt huius loci difficultates — quomodo possunt ephori undetriginta, quomodo anni totidem subtracto dimidio numerari, quum annorum numerus octodecim mensibus minor certissime constet?

Ephori quidem recte sunt numerati: non potest ferri annorum numerus. Ephori enim cuiusque anni ii nominantur, qui munus auspicaturi demum essent eodem tempore, quo reliqui Spartanorum magistratuus[1]), hoc est auctumnali aequinoctio. Id enim quum in archontibus usu receptum esset, ita ut quum Thucydides in ipso belli initio tempus accuratissime nominando eo archonte designare vellet, qui revera tunc (ver enim erat) hoc munere fungeretur, sic dixerit (II, 2.): *Πυθοδώρου ἔτι δύο μῆνας ἄρχοντος Ἀθηναίοις*, num putas in ephoris secus factum esse? An Xenophontem archontes ephorosque in singulis annnis coniunxisse, qui diversis annis creati essent? Eudicus igitur, qui ineunte anno a. Chr. 404 nominatur, magistratum iniisse existimandus est auctumno demum, eo ipso tempore, quo post Lysandri reditum Samumque devictam toti bello finis

1) v. Manso, Sparta, B. 2. S. 379. O. Müller, Dor. B. 2. S. 125.

impositus est. Sic apparet Eudicum esse belli Peloponnesiaci inde ab auctumno anni 431 ephorum duotricesimum, isque est apud Xenophontem ephororum a Brasida usque ad Eudicum numerus. Iam vero ad summam accurationem necesse erat ipse is ephorus nominaretur, qui revera hoc munere functus est, quum vere anni 404 bellum inferretur, qui etiam apud Thucydidem (II, 2.) nominatur: is igitur a Xenophonte adiicitur undetricesimus ita tamen, út a reliquis eum recte secreverit. Vides sic numerum undetricenarium expleri, quamquam ex grammaticis credibile est multos fuisse, qui sic rationem instituere non possent.

Sequitur, ut de belli annorum numero agam. Notum est, Thucydidem (V, 26.) ipsos annos viginti septem expletos dicere. Xenophon autem his annis sex menses adiicere cogitur, quia bellum auctumno demum post triginta tyrannos impositos devictamque Samum finitum esse rectius fortasse statuit, quam Thucydides (cf. p. 44.). Hunc igitur numerum volo anno minorem, quam quemadmodum nunc legitur, et nanciscor hunc numerum, si facili mutatione sic scribam: ἐς ὃ ὁ ἐξάμηνος κἂν ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἔτη τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα. Κἂν igitur pro *καί* scribo, quam mutationem saepe locis corruptis adhibendam esse testatur Iacobs. Additam. p. 16. 100. Sic autem explico haec verba: *hac exeunte aestate sex menses erant* (*s. deerant*) *et duodetriginta anni explerentur.* Verbi *εἶναι* omissi (supplendum est enim *ἦν*) exempla satis multa Schaeferus collegit (Lamb. Bos. Ell. p. 605. Gregor. Cor. p. 152. sqq. Demosth. III. p. 349.); pro imperfecto si aoristum malis, cf. I, 7, 7.: τότε γὰρ ὀψὲ ἦν καὶ τὰς χεῖρας οὐκ ἂν καθεώρων, ubi pari modo imperfectum tempus rem quasi praesentem ante oculos ponit. Ipsa autem illa numerandi ratio nec a nostro usu aliena est (nos enim dicamus: *noch* 6 *Monate und die* 28 *Jahre wären voll gewesen*) et simillimis

illis exemplis defenditur, si Graeci in numeris verbo *δεῖν* utuntur (v. Viger. de Id. l. gr. p. 70. sqq.). Si paulo durius Xenophon locutus esse videbitur, id fortasse eo compensabitur, quod nunc demum apparet, et cur verbo *τελευτᾶν* usus sit, quum in eadem re soleat simplici verbo *εἶναι* uti (nunc enim id urgendum erat, quod sic expleti essent duodetriginta anni), et cur articulum ante *ἑξάμηνος* posuerit. Non ignoro quidem, Graecos in tempore spatiove definiendo saepe articulum ponere, ubi nostra consuetudo abhorreat; tamen ille usus non tam late patet, ut ubique admittatur [1]. Nunc contra *ὁ ἑξάμηνος* id ipsum est semestre spatium, quod ad explendos duodetriginta annos deerat, proximum igitur et satis definitum, ut articuli ope quasi digito monstrari possit. — Librarii denique *καὶ* pro *κἂν* scripserint, quia nec hanc numerandi rationem satis perspiciebant et putabant, si undetriginta ephori essent, sequi, ut anni saltem duodetriginta essent.

Restat, ut quaeram, unde annus Xenophonteus incipiat: nam dubitatum est de ea re. Incipit a vere, ut apud Thucydidem, a mense, secundum Marshamum aliosque, Martio Aprilive. Id docent loci I, 3, 1. 4, 2., in

---

1) Sic Soph. Oed. Col. v. 1215. *αἱ μακραὶ ἡμέραι* vitam longam non certi cuiusdam hominis, sed universe significant, cf. Aesch. Prom. V. v. 449.: *τὸν μακρὸν χρόνον*, Soph. Ai. v. 468. H.: *τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου*, Aristoph. Ran. v. 160.: *ἀτὰρ οὐ καθέξω τὸν πλείω χρόνον.* Ita autem de hoc usu viri docti iudicare solent, eum non admitti nisi ubi temporis spatium a diis praestitutum cogitari possit. Hoc loco igitur Xenophon articulo uti potuisset, si ipsos viginti septem annos dixisset, quos Thucydides narrat inde ab initio belli et deorum responsis et vulgi opinionibus antecaptos esse (v. I, 26.: *τοῖς ἀπὸ χρησμῶν τε ἰσχυρισαμένοις — ἀεὶ γὰρ ἔγωγε μέμνημαι καὶ ἀρχομένου τοῦ πολέμου καὶ μέχρις οὗ ἐτελεύτησε προσφερόμενον, ὅτι τρὶς ἐννέα ἔτη δεῖ γενέσθαι αὐτόν*).

in quibus res novi anni ἀρχομένου τοῦ ἔαρος geri coeptae esse dicuntur: contrarius esset locus I, 2, 1., in quo id quod fit, simulac novus annus designatus est, ineunte aestate (ἀρχομένου τοῦ θέρους) fieri perhibetur, nisi θέρος saepe, quum totum id anni spatium complectatur, per quod bellum geri solet, ver includeret, quod maxime perspicuum est Thuc. VI, 94., ubi sic: ἅμα τῷ ἦρι εὐθὺς ἀρχομένῳ τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους. Etiam proximum caput adhiberi potest, in quo verbis ἐν τῷ αὐτῷ θέρει οὐ πολὺ ὕστερον antecessit hoc: τοῦ δ' αὐτοῦ ἦρος. Quod autem dixi, a vere annum incipere, id non obstat, quominus ea, quae novi anni notationi praecedunt, interdum, si hieme geri coepta sunt, ipso vere finita esse existimentur: velut si pugnam ad Cyzicum veris initio pugnatam aut Athenas hieme transacta deditas dicas: nihil enim aequius, quam si quid ante geri coeptum erat, narrationem non interrumpi, si eventus rei paulo post novi anni initium accidat.

Haackius autem existimat, annum 407, cui attribuenda sunt, quae Capite quinto libri primi continentur, ex Lacedaemoniorum more descriptum esse, hoc est ita, ut ab aequinoctio auctumnali incipiat, ac Sieversius id adeo pro testimonio habuit, quanto Lacedaemoniorum studio Xenophon moveretur. Nimirum Lysander Cratesippidae in imperio maritimo aequinoctio auctumnali successit, idque est a quo novus annus incipere videtur. At non incipit: ipse enim Xenophon dicit, Lysandrum paulo ante advenisse. Haec enim eius verba sunt: Οἱ Λακεδαιμόνιοι πρότερον τούτων οὐ πολλῷ χρόνῳ Κρατησιππίδᾳ τῆς ναυαρχίας παρεληλυθυίας Λύσανδρον ἐξέπεμψαν ναύαρχον.

Cap. III.

PRIMA QUINQUE LIBRI PRIMI CAPITA IN IUDICIUM VOCANTUR. QUO CONSILIO, QUO ANIMO, QUO TEMPORE XENOPHON DUOS PRIORES LIBROS CONSCRIPSERIT, QUAERITUR.

Iam ex primo huius commentationis capite apparuerit, prima quinque libri primi capita valde a nescio quo librario corrupta esse, contra in reliqua parte, si unum libri secundi caput tertium exceperis, in quo aliquid deesse vidimus, omnia bene fluere, et si quid offensionis sit, id genere non diversum esse ab iis difficultatibus, quae etiam in integerrimis antiquitatis scriptoribus reperiri solent. Id etiam elarius elucebit, si has duas horum librorum partes inter se comparaveris. In illa igitur priore parte brevissime vidimus de pugnis exponi atque imperatorum artificia prorsus taceri; in hac contra non neglexit, si quid a quopiam ita gestum esset, ut aliquid inde disci posse videretur. Velut ubi explicat, qua arte Conon portu Mytilenaeo inclusus Athenienses de angustiis suis certiores fecerit (I, 6, 19.), qua fraude Eteonicus post pugnam Arginusensem Cononem deceperit (I, 6, 36 — 38.), quo idem consilio militum suorum motus sedaverit (II, 1, 1 — 5.), quae Atheniensium incuria, Lysandri solertia ad Aegospotamos Lacedaemoniis victoriam paraverit (II, 1, 20 — 23.), quomodo Thrasyhulus triginta tyrannorum equites ex improviso adortus (II, 4, 4 — 5.) et in pugna Munychiensi commode loci opportunitatibus usus sit (II, 4, 15 — 16.). Etiam pugnae in hac parte saltem multo accuratius describuntur, v. I, 6, 29 — 35. II, 1, 17 — 32. 4, 13 — 20. 31 — 34. Deinde quum in illa

parte vix una reperta sit recta oratio eaque manca et mutila: contra in hac vixdum illum terminum egressis Callicratidae occurrit brevis quidem, at nervis plena primum ad milites, deinde ad Milesios facta cohortatio (I, 6, 5. 8—11.), victoriae ad Arginusas reportatae auctorum defensio Euryptolemi (I, 7, 16—33.), duorum eloquentissimorum ac callidissimorum virorum Critiae Theramenisque orationes contrariae (II, 3, 24—34. 35—49.), Cleocriti Mystarum praeconis suasio (II, 4, 20—22.), denique Thrasybuli vox primum milites ante pugnam Munychiensem excitans (II, 4, 13—17.), deinde in optimates post exulum reditum acerbe invehens (II, 4, 40—41.): oratiunculae igitur intra hos fines octo, in illo aeque longo spatio prope nullae.

Id credo sufficiet, ut quasi damnatis istis quinque capitibus ea, quae reliqua sunt, eo certius ab omni corruptelae suspicione vindicemus. Ad quod iudicium confirmandum aliquid id quoque faciet, quod Capite commentationis nostrae secundo primariam accusationis partem, annorum notas dico, inde a Capite sexto nullam esse demonstravimus: ut ab hoc termino non solum ipsa narratio plenior et venustior esse, sed etiam secundum annos rectissime disponi videatur.

Venio nunc ad consilium horum duorum librorum, non exceptis istis quinque capitibus, modo ea sic spectes, non qualia sunt, sed qualia videntur ab ipso Xenophonte profecta esse. In his igitur primum vides belli Peloponnesiaci narrationem ad finem perduci. Negat Sieversius (l. l. p. 2.): male enim sic de triginta tyrannis narrationem (II, 3, 11. sqq.) adiici. Vix autem in hoc belli fine adquiescas, si ita ab Athenis discedere cogaris, ut triginta tyrannos postremum impositos audiveris; et Xenophontem addita hac narratione non novum quiddam inchoare, sed inceptum ad finem

perducere voluisse inde apparet, quod nec novum annum (annum 403) notavit, nec archontès ephorosve nominavit, nec praeter res Athenienses quicquam adiecit. Ipse autem Dionysius Halicarnassensis, ubi Thucydidem vituperat, quod opus suum non ad finem belli deduxerit, ita eum recte deducturum fuisse censet, si istam narrationem adiecisset. Haec enim eius verba sunt (Ep. ad Pomp. III, 10.): *κρεῖττον δ᾽, ἦν διεξελθόντα τὰ πάντα τελευτὴν ποιήσασθαι τῆς ἱστορίας — τὴν κάθοδον τῶν φυγάδων τῶν ἀπὸ Φυλῆς.* Deinde ita in his libris instituitur narratio, ut primum novus quisque annus accurate notetur, deinde quidquid ubique eo anno in bello accidit, initio a vere facto narretur, et omnibus comprehensis demum ad proximum annum pergatur. Id quoque observa, si singulis annis de Graecis ipsis narratio confecta est, eum breviter aliarum gentium res adiicere solere.

Itaque id consilium exsecutus est Xenophon, quod Thucydides ceperat, et exsecutus est ita, ut vel narrationem pari modo atque ille institueret. Nam etiam Thucydides belli res per singulos annos persequitur, novique cuiusque anni initium accurate notat, idque initium a vere facit, et si quid, quod ad bellum pertineat, ab alia quadam gente praeter Graecos gestum est, id in fine cuiusque anni adiicit [1]).

---

1) Sieversius (l. l. p. 6. sqq.) in hoc ipso Xenophontis rationem a Thucydidea diversam esse putat. Xenophontem enim sic adiecisse de Sicilia (I, 1. fin. I, 5. fin. II, 2, 24. II, 3, 5.), de Thessalia (II, 3, 4.) de Persis (I, 2. fin. II, 1, 8—9.), quae nihil cum Peloponnesiaco bello commune habuerint. Quasi Lycophronis Pheraei dominatus nihil prorsus ad reliquam Graeciam pertinuerit, ac Persae Siculique per id tempus non vel maxime illius belli participes fuerint! — Quod autem in quovis anno archontes ephorosque nominavit, id fecisse videtur, ne quum id bis terve a Thucydide factum esse

Quae quum ita sint, nemo sane negaret, his libris Thucydidem continuari: nisi reliqui quinque libri exstarent cumque illis uno volumine coniuncti essent. At quod uno volumine septem libri iuncti sunt, id casu factum est et ex veteribus nemo est, qui istos septem libros totum quiddam efficere testetur: et quod reliqui quinque libri exstant, id tum demum impedimento esse potest, quominus illos seiungamus, si quasi per se constare non possunt: de quo posteriore huius commentationis parte acturus sum [1]).

Dixi neminem esse e veteribus, qui istos septem libros uno volumine comprehendendos censeat: imo audaciori esse mihi licet dicenti, non deesse qui hoc illove modo suadeant, ut seiungamus. Primum Diodori (XIII, 42.) et Diogenis Laertii (in vita Xenophontis 2, 57.) notos locos dico, ex quibus constat, Thucydidis annales Xenophonti ad edendum traditos esse. Sic enim facile fieri potuit, quum praesertim ex Diogenis Laertii testimonio illos ipse primum detexerit ac suo impulsu ediderit, ut quod deesset suppleret. Neque id prorsus negligendum est, quod duobus Diodori locis (l. I. et XII, 37.) a quibusdam novem Thucydidis libri numerati esse dicuntur: non prorsus enim a veritate abhorret, quod Niebuhrius suspicatur, qui sic numeraverint, eos Xenophontis supplementum adiectum habuisse [2]). Deinde iam Niebuhrius loco Marcellini hoc

---

cerneret, quidquam omitteret, quod Thucydides facturus fuisse videri posset.

1) Non redibo igitur in posteriore parte ad hanc quaestionem, satis enim erit, si libris quinque posterioribus suum consilium esse demonstravero.

2) Etiam hoc sic clarius apparet, quomodo ipse Thucydidis liber octavus ab Xenophonte conscriptus esse dici potuerit, v. Marcellin. §. 43. (apud Goell.): Λέγουσι δέ τινες τὴν ὀγδόην ἱστο-

usus est (apud Goeller. §. 45.): *Θουκυδίδης ἀπέθανε συγγράφων τὰ πράγματα τοῦ εἰκοστοῦ καὶ πρώτου ἐνιαυτοῦ· εἴκοσι. γὰρ καὶ ἑπτὰ κατέσχεν ὁ πόλεμος· τὰ δὲ τῶν ἄλλων ἓξ ἐτῶν πράγματα ἀναπληροῖ ὅ τε Θεόπομπος καὶ ὁ Ξενόφων, οἷς συνάπτει τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν.* Etsi concedam, non tantam esse Marcellini auctoritatem, ut hoc uno testimonio quaestionem dirimere liceat: tamen in aliquo numero id habendum esse nemo infitiabitur [1]). Ipse autem locum habeo, quem adiiciam, hunc (Dionys. Hal. Ep. ad Pomp. I, 4.): *Πρῶτον μὲν γὰρ (ὁ Ξεν.) τὰς ὑποθέσεις τῶν ἱστοριῶν ἐξελέξατο καλὰς καὶ μεγαλοπρεπεῖς — τήν τε Κύρου παιδείαν — καὶ τὴν Ἀνάβασιν τοῦ νεωτέρου Κύρου καὶ τρίτην ἔτι τὴν Ἑλληνικὴν καὶ ἣν κατέλιπεν ἀτελῆ Θουκυδίδης, ἐν ᾗ καταλύονταί τε οἱ τριάκοντα καὶ τὰ τείχη τῶν Ἀθηναίων ἃ Λακεδαιμόνιοι καθεῖλον αὖθις ἀνίστανται.*

ρίαν νοθεύεσθαι καὶ μὴ εἶναι Θουκυδίδου. ἀλλ' οἱ μὲν φασιν εἶναι τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ, οἱ δὲ Ξενοφῶντος — ὅτι δὲ — οὐδὲ Ξενοφῶντός ἐστιν ὁ χαρακτὴρ μόνον οὐχὶ βοᾷ· πολὺ γὰρ τὸ μέσον ἰσχνοῦ χαρακτῆρος καὶ ὑψηλοῦ.

1) Quum hanc commentationem non modo totam perscripsissem, sed etiam partem iam ad bibliopolam ad excudendum misissem, delatus est ad me C. G. Kruegeri liber (Historisch-philologische Studien, Berlin 1837.), in quo brevis inest de Hellenicis scriptio. In qua quamquam non ita multa sunt, quae ad meum consilium pertineant — instituta enim est ad refutanda Niebuhrii argumenta, quae equidem in ingressione paene omnia missa feci —, sunt tamen aliqua, quae non prorsus taceri licet. Ita de hoc Marcellini loco sic statuit p. 258., nihil inde concludi posse, etiamsi vulgatam scripturam *οἷς* teneas: quod enim altera pars alteri adiuncta esse dicatur, inde non sequi, has partes diversas fuisse. Id vero sequitur, quod Hellenicam historiam alteri cuidam scriptioni adiunctam esse dicit, hoc Hellenicae historiae nomine istam alteram scriptionem ab illo non esse inclusam, ac Graecam historiam antequam illi scriptioni adiungeretur, per se totum quiddam effecisse. Illud non nego, mutationem *ὃς συνάπτει* pro *οἷς συνάπτει* non nimis esse difficilem.

Kruegerus voculam καί ante ἣν κατέλιπεν delet: ita autem multum abest, ut huic loco satis succurratur. Quomodo enim Thucydides τὴν Ἑλληνικήν imperfectam reliquisse dici potest? Ac durum saltem est, ita putare a Dionysio totius libri ambitum descriptum esse, ut in illo triginta viros expulsos et moenia restituta diceret. Contra si utramque Hellenicorum partem a Dionysio separatim spectatam esse dicis, verba facilia sunt. Id quoque satis aptum, quod illos duos libros, quanquam separatim posuit, tamen non dixit quartum opus historicum esse: sunt enim et breviores nec, ut ita dicam, a Xenophonte suo impulsu scripti. Addit autem, in altera parte triginta viros expulsos narrari, in altera moenia restituta (ita enim ea, quae proxime sequuntur, interpretor), non ut his utrumque opus designet, sed ut eodem nomine laudet, quo Thucydidem vituperaverat (III, 8.), quod laeta de Atheniensibus narrentur [1].

Restat, ut breviter de animo et de tempore dicam, quo Xenophon priores duos libros conscripserit. Animo putat Niebuhrius hos libros conscriptos benevolo. Equidem nec benevolo nec malevolo conscriptos existimo, ut bonum hominem ac probum dicere eum liceat, etsi non liceat bonum Atheniensem. Nolim cum Sieversio in eo Lacedaemoniorum studium cernere, quod pacis post pugnam Cyzicensem a Spartanis oblatae, ab Atheniensibus repudiatae nullam mentionem faciat (v. Diod. XIII, 52. 53.), neque id premam, quod I, 2. et I, 5. duae Atheniensium victoriae, altera de Megarensibus, altera de Agide reportata, commemorandae fuerint (v. Diod. XIII, 65. 72.): in tan-

1) Kruegerus l. l. p. 258. suis argumentis me non movit, ut aliter de hoc loco iudicarem.

ta enim horum capitum brevitate non satis constat, hae victoriae dignaene fuerint, quae exponerentur, et ipsa illa pax, quamquam scholiastae Euripidei (ad Orest. 371. 772.) et Iustini (V, 4.) testimonia accedunt, tamen non satis certa esse videtur, nam nec per se illo tempore Spartanos eam petivisse credibile est, et quam leves Athenienses in eius generis rebus fuerint, notum est, qui vel post Arginusensem victoriam a Lacedaemoniis pacem petitam esse finxerint (v. Schol. Aristoph. Ran. 1580.). Optime autem Theramenis exemplo intelligi videtur, quam ille neque bonus Atheniensis fuerit nec vero Spartanis nimis faverit. Qui enim Atheniensibus faveret, Theramenem omnino non laudasset, qui Lacedaemoniis, in eo Theramenem reprehendisset, in quo ille vel maxime laudat, quod Critiae Spartanorum partes tuentis adversarius exstitit. Sic etiam in reliquis huc illuc trahimur. Velut Lacedaemonii eximiam quandam animi magnitudinem praestare videntur, quod Atheniensibus contra Boeotorum Corinthiorumque voluntatem parcunt (v. II, 2, 20.: *Λακεδαιμόνιοι οὐκ ἔφασαν πόλιν Ἑλληνίδα ἀνδραποδιεῖν, μέγα ἀγαθὸν εἰργασμένην ἐν τοῖς μεγίστοις κινδύνοις γενομένοις τῇ Ἑλλάδι*): contra Theramenes causam aperit minus honorificam (II, 3, 41.) et ipso illo loco satis honorifica Atheniensium commemoratio continetur; deinde Callicratidas adeo cupidius laudari videtur (I, 6. init.) ipsumque id laudibus efferri, quod se minus crudelem erga urbes Graecas captas praestiterit (I, 6, 7.), de Atheniensibus autem

---

1) Etiam Hinrichs. De Theramene, Crit. et Thrasyb. p. 21., ita se a Xenophonte Diodoroque decipi passus est, ut eum saltem in ipsa pace se Atheniensibus probum ac benevolum praestitisse censeret.

iterum iterumque repetitur (II, 2, 3. 10.), quanta superbia Graecas urbes everterint, civesque sub corona vendiderint: contra II, 4, 10. sqq. Thrasybulus et qui cum Thrasybulo erant, digne celebrantur, atque etiam Lacedaemonii vituperantur, quod triginta virorum crudelitatem et licentiam sustentaverint, atque in hac reprehensione etiam a more suo recedere videtur, quo nihil unquam ipse iudicat, sed alios iudicantes inducit. De Corinthiis enim sic loquitur (II, 4, 30.): ὅτι ἐγίγνωσκον Λακεδαιμονίους βουλομένους τὴν τῶν Ἀθηναίων χώραν οἰκείαν καὶ πιστὴν ποιήσασθαι. Quod autem fere nihil de fraude commemoratum est, qua Athenienses patriam Lacedaemoniis prodiderunt, id nescirem Atheniensium an Lacedaemoniorum studio factum esset, nisi Xenophontem omnino de internis belli rationibus tacuisse viderem. Ita, ut iam dixi, nescio, quo illum inclinare dicam, et ab omni eum reprehensione liberum ducerem, nisi forte in Atheniensi aliquis patriae amor ut eluceat, recte postulatur.

De tempore denique quamquam non ita multum, aliquid tamen eo loco, quem Niebuhrius adhibuit (II, 4, 43.), significari existimo. Qui enim data amnestia nunc in urbem redeunt, iidem sunt, qui §. 38. dicti sunt ob eam causam Eleusina discessisse, ne qua subito plebis impetu in ipsis crudelitas exerceretur (§. 38.: εἰ δέ τινες φοβοῖντο τῶν ἐξ ἄστεος, ἔδοξεν αὐτοῖς τὴν Ἐλευσῖνα κατοικεῖν). Id igitur si non factum esse Xenophon post quinquaginta fere annos commemorare potuisset (hoc enim tempore libri quinque posteriores conscripti sunt): non video quomodo hac formula uti potuisset: ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ γε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος, in qua aliqua dubitatio inesse dicitur, itane etiam in posterum futurum sit.

Saltem Sieversius nihil contra effecit, quod inimicitias saepe per longum tempus inter Graecos tractas esse demonstravit (l. l. p. 4.) [1]**.**

---

1) Consentit Kruegerus l. l. p. 262. Quod autem facile viginti annos et amplius a Xenophonte in Hellenicis conscribendis consumi potuisse putat, id si ita putat, ut nunquam opus suum plane seposuerit, cur non assentiar supra exposui, sin ita, ut illud spatium inter utramque partem interiectum sit (et concedit ita putari posse), profecto assentior.

PARS POSTERIOR.

DE QUINQUE RELIQUIS HELLENICORUM LIBRIS.

CAP. I.

QUO ORDINE PER HOS LIBROS RES NARRAVERIT.

Quem ordinem Xenophon secutus sit, ita optime apparebit, si rerum ab ipso explicatarum quasi fabulam proposuero.

III, 1, 1 — 2. 20. Ab Ionibus exorati, qui Persarum iram propter auxilium Cyro latum timebant, Lacedaemonii primum Thimbronem mittunt, deinde Dercyllidam, qui illos contra Tissaphernem Pharnabazumque tueantur, ac tuentur per annos 400 — 397. His ut Agis succedere posset, interponenda erat

III, 2, 21 — 31. narratio de Eleo bello gesto per annos 399 — 397, deinde

III, 3. Cinadonis coniuratio. Iam igitur sequitur

III, 4. Agesilai expeditio in Asiam resque ibi gestae per annos 396 — 395. Cui quum resisti non posset,

III, 5. Tithraustes in Graeciam mittit, qui Spartanorum inimicos ad bellum contra hos excitet. Ac

concitantur, quumque Lysander interfectus esset, Pausanias autem turpiter cessisset, habebant sane Lacedaemonii, cur Agesilaum ex Asia revocarent. Sic ad Agesilaum redit narratio.

IV, 1—2, 8. Quid Agesilaus hieme anni 395—394 gesserit, ac quomodo a Lacedaemoniis eo ipso tempore, quum contra ipsum regem in interiores regni partes penetrare vellet (1, 41.), revocatus reditum in Graeciam paraverit.

IV, 2, 9—23. Quid anni 394 initio usque ad Agesilai reditum in Graecia acciderit.

IV, 3. Pugna Cnidensis et Chaeronensis anni 394.

IV, 4—7. Quid per reliquos belli Corinthiaci annos terra gestum sit.

IV, 8—V, 1. Quid per eosdem annos mari gestum sit. Bellum pace Antalcidica finitur.

V, 2—3. Lacedaemonii potestate per pacem Antalcidicam ipsis concessa ita utuntur, ut Mantinenses muros suos diruere popularemque rei publicae formam aristocratica commutare cogant (2, 1—7.), quod factum videtur anno 385, Phliasios iubeant exsules in patriam reducere (2, 8—10.), denique Olynthum expugnent imperioque in Thracia parto spolient (2, 11—3. fin.). Geritur hoc bellum Olynthicum per annos 383—379. Interponitur huic bello iniusta Cadmeae occupatio (2, 25—36.) anni 383, et Phliuntis expugnatio (3, 10—17. 20—26.), et bene interponitur utrumque, Cadmea enim a Phoebida adversus Olynthios proficiscente occupatur, et Phlius contra Spartanos superbe egerat, quia id sese impune facturos esse propter Olynthicum bellum putabant, eoque Spartanorum iram in se converterant (3, 10.).

Reliqua Hellenicorum parte bellum Boeoticum annorum 378—362 continetur.

V, 4. Thebani Spartanos eiiciunt, libertatemque contra eos tuentur, quum quater incursionem in Boeotiam facerent per annos 378—375. Athenienses primum a foedere Thebaico abalienati Sphodriae fraude ei reconciliantur, annoque 376 Spartanos classe superant ac proximo anno imperii maritimi partem recuperant.

VI, 1. Iason se Thessaliae tagum facit anno 374: quod interponendum erat, ut deinceps ille in Thebanorum rebus commemorari posset. Ceterum narrationis filum Xenophon in fine capitis recipit his verbis: ἐγὼ δὲ πάλιν ἐπάνειμι ὅθεν εἰς τὰς περὶ Ἰάσονος πράξεις ἐξέβην: cuius similibus formulis utitur etiam VI, 5, 1. VII, 4, 1.

VI, 2. Pax inter Spartanos et Athenienses conciliata a Timotheo rumpitur. Athenienses Iphicrate duce res bene in Corcyra insula administrant, anno 373.

VI, 3. Pax eadem iterum conciliatur anno 371.

VI, 4. Pugna Leuctrensis anni 371. Inque eodem capite Thessalorum res usque ad annum 357 deducuntur.

VI, 5. Res annorum 371—369. Mantinea restituitur; Arcades iuncta inter se societate (τοῦ Ἀρκαδικοῦ) vires suas augent frustra repugnante Agesilao, qui incursionem in Arcadiam fecerat; Thebani in Laconicam invadunt; Athenienses segniter auxilium ferunt.

VII, 1. Spartani Atheniensesque paci foedus adiiciunt, Thebani in Peloponnesum descendunt anno 368. Arcades suo Marte bellum contra Spartanos gerentes ab Archidamo superantur anno 367. Post pacis actiones auctore Persarum rege frustra tentatas Thebani invasione facta Achaiam ad se trahunt, eandem autem mox sua culpa amittunt anno 366.

VII, 2. Phliasiorum pulcre facta per annos 371—367.

VII, 3. Res Sicyoniorum per complures annos exponuntur.

VII, 4. Anni 366—363 tractantur. Arcades cum Atheniensibus societatem iungunt, Corinthii cum Thebanis pacem faciunt; Arcades Eleis bellum inferunt, ludorum Olympicorum ipsiusque templi curam sibi arrogant, templi opibus in suam rem abutuntur; inde discordiis ortis pars cum Spartanis in fidem redit, pars Thebanos advocat, qui

VII, 5. duce Epaminonda signa in Peloponnesum ferunt ibique pugna Mantinensi belli finem adducunt anno 362.

Ex hac tabula apparebit, Xenophontem solere complurium annorum res inter se similes complecti atque hac narratione absoluta pedem referre eorundemque annorum res reliquas adiicere. Non singuli igitur anni eum quasi ducunt, ut anno quoque finito insistat et quidquid ubique acciderit comprehendat, sed multo commodius videtur ipsis rebus duci, utque hae suadeant, modo longius temporis spatium eadem in re versans emetiri, modo citius se ad supplenda ea, quae hac narratione non contineantur, revocare. Ita eum rem suam instituisse maxime conspicuum est, quamdiu diversis locis diversae res gerebantur, hoc est fere usque ad pacis Antalcidicae tempus. In his igitur primum Asiaticam expeditionem eo usque narrat, donec Agesilaus imperium suscepit. Hunc antequam et in Asiam mittat et ex Asia in Graeciam reducat, res Graecas eas interponit, quibus cur id factum sit appareat: ut huius Agesilai expeditionis expositio non interpellata et obscurata, sed expleta tantum et illustrata videatur. Belli autem Corinthiaci res terra gestae a maritimis ita disiunguntur, ut seorsim utraeque enarratae facilius intelligantur. Nec vero quamquam in his illa ratio maxime perspicua est, in reliquis eadem mi-

nus tenetur. Nam in his quoque, quamquam per bellum Boeoticum, quum quaequae ubique memoratu digna gerebantur arctissime inter se cohaererent, nihil obstabat, quominus temporum ordinem conservaret, tamen ter eum ordinem reliquit et digressione facta nihil curans, quo in anno constitisset, in hac illave narratione complures annos complexus est, primum ubi de Thessalis quindecim annos uno tenore percurrit (VI, 4.), deinde ubi Phliasiorum (VII, 2.), tertium ubi Sicyoniorum res per complures annos persequitur [1]).

Ita non mirum videbitur (quamquam id rursus pro luculentissimo testimonio habeo, me recte sic de horum librorum compositione iudicare) nusquam nec Olympiadis, nec ephori, nec archontis mentionem iniici neque ipsos annos notari, nisi quod raro vel aliis de causis, vel ut ad nova quaedam transiri significetur, novus annus incipere dicitur. Id his locis atque his verbis fit: III, 2, 25.: περιϊόντι τῷ ἐνιαυτῷ; III, 2, 30.: τοῦ ἐπιόντος θέρους; III, 3, 4.: οὔπω ἐνιαυτὸν ὄντος ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Ἀγησιλάου, et III, 4, 20.: ὁ ἐνιαυτὸς ἤδη ἀφ' οὗ ἐξέπλευσεν ὁ Ἀγησίλαος διεληλύθει; IV, 7, 1.: παρελθόντος τοῦ χειμῶνος; VII, 1, 1. et 2, 10.: τῷ ὑστέρῳ ἔτει. Praeterea si quid temporis indicium interdum reperitur, id tantum fit, ubi ad rem aliquid videtur interesse, vere aliquid an aestate an hieme gestum sit.

---

1) Quomodo Kruegerus l. l. p. 257. tamen affirmare possit annorum ordinem teneri, profecto non video. Neque enim extrema verba: ἐμοὶ μὲν δὴ μέχρι τοῦδε γεγράφθω, τὰ δὲ μετὰ ταῦτα ἴσως ἄλλῳ μελήσει, id demonstrant. An Xenophon, quum suo consilio tempus quoddam circumscripsisset idque ita tractasset, ut totum quiddam efficeret, non potuit sperare, alios post ipsum idem facturos? Idem Kruegerus p. 259. singulos libros putat male descriptos esse: non concedet, qui tabulam supra propositam recte perpenderit.

Hi enim loci sunt, in quibus id fit: III, 2, 6. 10. 11. 17. 4, 16. IV, 1, 41. 5, 4, 6, 12. 8, 7. V, 1, 5. 2, 29. 43. 3, 1. 3. 19. 4, 14. 47. 58. 59. VI, 5, 20. 50. VII, 4, 12. Ex his locis ii fortasse cuipiam novum annum ex Xenophontis consilio notare videantur (nam quod annos tamen cognosci licet, id nihil refert), in quibus primo vere (*ἅμα τῷ ἔαρι, ἅμα τῷ ἔαρι ὑποφαινομένῳ* et sim.) aliquid gestum dicitur, v. III, 2, 6. IV, 8, 7. V, 3, 1. 4, 47. 58. 59.

Ita denique factum est, ut loco, qui ea in re non praetereundus est, IV, 4, 25—31., ita de Thrasybuli expeditione narraverit, ut, nisi Diodorum haberemus (v. XIII, 94. 99.), non possemus aliter iudicare, quam uno anno eam inceptam esse et finitam, quum tres annos expleverit: in quo cave, ne discrepare Xenophontem a Diodoro iudices, ita iudica, Xenophontem etiam in his annos parum curare. Neque formulas istas VI, 1, 19. 5, 1. VII, 4, 1. sine causa tetigi (p. 76.): si enim temporis ordinem sequeretur, his locis se non ad res, quas reliquisset, sed ad tempus suum redire diceret.

Cap. II.

QUO CONSILIO XENOPHON IN HIS LIBRIS USUS SIT. [1])

Quo consilio Xenophon in his libris usus sit, eo magis nunc videndum puto, quum eum ex annalium scri-

1) Kruegeri commentatio, quam aliquoties commemoravi, fecit, ut me etiam minus mei instituti poeniteret, quo totam quaestionem potissimum ad indagandum utriusque partis consilium revocavi. Kruegerus enim, quamquam illa Niebuhrii argumenta

scriptorum numero exemerim. Qui enim annales scribit, is fieri potest ut casu ad hos illosve annos deferatur [1]), quamquam etiam in hoc recte de eo consilio quaeres, quod in eligendis singulis rebus adhibuerit. Quum enim tanta in iis temporibus, quae accuratius cognoveris, rerum copia ac varietas sit, ut omnes unus complecti nequeat: partem certo quodam consilio suam quisque eligat necesse est [2]). At vero qui annalium forma non utitur, ei hoc quoque videndum est, unde optime ordiatur, in quo desinat, ut totum quiddam efficiat, quod mentis oculis facile comprehendi possit. In Xenophonte igitur duplex consilium considerandum erit [3]). Ac primum quidem videamus, quid

---

menta diligentissime expendit, vide tamen quam ambigue iudicarit: *So würden die beiden Theile des Werkes in der That als zwei Werke erscheinen, nur dürfte man nicht annehmen, dass beide gegen die Absicht des Schriftstellers verbunden seien, vielmehr muss man einräumen, dass er das erste zwar als Ergänzung des Thukydides, das zweite aber als Fortsetzung des vorigen gegeben, und Einheit beider selbst beabsichtigt habe* (p. 264.).

1) Is enim, ut hoc exemplo utar, cum ipsis annis potest in opere suo procedere: quod cur de Xenophonte Delbrueckius perperam statuat, supra demonstravi, p. 10.

2) Ea de re bene Delbrueckius (p. 117.) sic loquitur: *Merwürdige Geschichtsereignisse sind als etwas sehr Zusammengesetztes reich an edlem Nahrungsstoffe auf der einen Seite für Herz und Einbildungskraft, und auf der andern Seite für Verstand und Gesinnung. Je nachdem nun ein Geschichtschreiber in der Auswahl der Thatsachen und in Behandlung derselben das Augenmerk mehr auf jenes Element richtet oder auf dieses, bekömmt sein Werk ein mehr dichterisches oder philosophisches Gepräge:* quamquam plura sunt tractationis genera praeter philosophum et poeticum.

3) Duplex hoc consilium ex Herodoti comparatione aliquid lucis accipiet. Is enim quum opus suum ita circumscripsisset, ut eo Persarum superbiam et superbia adductam cladem conspi-

spectaverit, quum in Spartanorum expeditionibus Asiaticis initium, in pugna Mantinensi finem faciendum esse censeret: deinde, quid eum opere sic circumscripto in ipsa narratione duxerit.

Id autem consilium, quod priore loco posui, clarissime videtur ex his eius verbis apparere:

V, 3, 27 — 4, 1.: *Προκεχωρηκότων δὲ τοῖς Λακεδαιμονίοις, ὥςτε Θηβαίους μὲν καὶ τοὺς ἄλλους Βοιωτοὺς παντάπασιν ὑπ᾽ ἐκείνοις εἶναι, Κορινθίους δὲ πιστοτάτους γεγενῆσθαι, Ἀργείους δὲ τεταπεινῶσθαι διὰ τὸ μηδὲν ἔτι ὠφελεῖν αὐτοὺς τῶν μηνῶν τὴν ὑποφοράν, Ἀθηναίους δὲ ἠρημῶσθαι, τῶν δ᾽ αὖ συμμάχων κεκολασμένων, οἵ δυσμενῶς εἶχον αὐτοῖς· παντάπασιν ἤδη καλῶς καὶ ἀσφαλῶς ἡ ἀρχὴ ἐδόκει αὐτοῖς κατεσκευάσθαι. Πολλὰ μὲν οὖν ἄν τις ἔχοι καὶ ἄλλα λέγειν καὶ Ἑλληνικὰ καὶ βαρβαρικά, ὡς θεοὶ οὔτε τῶν ἀσεβούντων οὔτε τῶν ἀνόσια ποιούντων ἀμελοῦσι· νῦν γε μὴν λέξω τὰ προκείμενα. Λακεδαιμόνιοί τε γὰρ οἱ ὀμόσαντες αὐτονόμους ἐάσειν τὰς πόλεις τὴν ἐν Θήβαις ἀκρόπολιν κατασχόντες ὑπ᾽ αὐτῶν μόνον τῶν ἀδικηθέντων ἐκολάσθησαν πρῶτον οὐδ᾽ ὑφ᾽ ἑνὸς τῶν πώποτε ἀνθρώπων κρατηθέντες.*

Hoc igitur in loco quasi editiore operis sui Xenophon subsistit, atque uno in conspectu Spartanos et ad suae felicitatis fastigium ascendere videt et rursus ab eo delabi: tanta autem divinae iustitiae conscientia tangitur in hac Spartanorum fortuna conspicuae, ut vix suum iudicium, quamquam id solet facere, suppresserit. En igitur scriptoris consilium. Spartanos ostendit, et quomodo inde ab Asiaticis expeditionibus potestatem suam

---

cuam fieri vellet: tamen etiam in singulis narrationibus et recipiendis et explicandis quis eum neget suo consilio versatum esse, quod Creuzerus et Hoffmeisterus ingeniose indagarunt ac propria quadam eius philosophia (philosophiam enim ex veterum consuetudine eius de rebus divinis humanisque iudicium appellare licet) niti iudicarunt.

usque eo auxerint, ut Boeoti subiecti, Corinthii conciliati, fracti Argivi, spoliati Athenienses, oppressi socii essent, et quomodo iidem bello Boeotico potestatem suam labefactaverint ac denique pugna Mantinensi prorsus amiserint: id autem ostendit, ut aliquod iustitiae divinae exemplum praebeat: Lacedaemonii enim superbia auxisse potestatem dicuntur et propter superbiam denique amisisse. Itaque in ipso initio (III, 1, 5.) non sine causa videtur monuisse paucis verbis, iam tum Lacedaemoniis omnes socios obedivisse et libenter obedivisse: scilicet ut appareret, male Lacedaemonios fecisse, quod potestatem suam satis amplam et honorificam augere voluissent. Haec enim eius verba sunt: *Πᾶσαι γὰρ τότε αἱ πόλεις ἐπείθοντο ὅ,τι ἀνὴρ Λακεδαιμόνιος ἐπιτάττοι.* Iam reprehendit leviter, quum illi belli contra Thebanos gerendi occasionem cupide arripiunt (III, 5, 5.): multo autem manifestior superbia exsistit, quum post pacem Antalcidicam Mantinenses, Thebanos, Phliasios, Olynthios subigunt. Ex calamitatibus autem, quibus deinceps Lacedaemonii affliguntur, maxima Leuctrica clade accipitur: quare hoc potissimum loco quasi manum divinam agnoscit, Cleombrotum ab ipsis diis deceptum dicens (VI, 4, 3.: *τὸ δαιμόνιον ἦγε*): neque in Mantinensi pugna numen divinum deest (VII, 5, 26.: *ὁ δὲ θεὸς οὕτως ἐποίησεν*): in qua quod Lacedaemonii non ita vincuntur (nam vinci eos certum est), ut hostes triumphent, in eo satis convenienter illi consilio etiam hostes suae superbiae poenam dedisse videantur. Quanta autem haec Mantinensis clades fuerit, Diodori verbis testari iuvat his (XIII, 33.): (*οἱ Λακ.*) *μετὰ ταῦτα περὶ Μαντίνειαν πολεμήσαντες τοῖς ὅλοις ἐσφάλησαν καὶ τὴν ἡγεμονίαν ἀνελπίστως ἀπέβαλον· ἀγαθὴ γὰρ ἡ τύχη τοὺς μέγα φρονοῦντας παραδόξως σφῆλαι καὶ διδάξαι μηδὲν ἄγαν κατελπίζειν.*

De hoc autem Xenophontis consilio ita demum satis constabit, si etiam in reliquis apparuerit, eum ita sentire, ut si quid superbe aut impie erga deos fiat resve secundae minus modice ferantur, id a diis solere celeriter puniri censeat. Atque ita est, idque aliquot exemplis demonstrem. Paulo discrepans esse videtur, quod sic profitetur (VI, 4, 23.): *καὶ ὁ θεὸς δὲ ὡς ἔοικε πολλάκις χαίρει τοὺς μὲν μικροὺς μεγάλους ποιῶν, τοὺς δὲ μεγάλους μικρούς*, eaque magis invidiae cuiusdam divinae, qualis apud Herodotum est [1]), quam iustitiae professio esse videtur: sed apud Xenophontem cogitatione supplendum est, id ipsorum hominum culpa accidere solere. Ita quod qui ante magni fuerant, parvi fiant, eo manifestior iustitia divina existit. Idem in loco VII, 5, 12. tenendum est, in quo Spartanorum parva manus de universis Thebanis, qui *πῦρ πνέοντες* dicuntur, victoriam reportat. Sed alia exempla videamus. Ipse Agesilaus non impune Thebanos pacem offerentes rebus secundis elatus superbe repudiat (*μάλα μεγαλοφρόνως*): quum enim vix repudiavit, nuntius de magna Spartanorum clade adest (v. IV, 5, 6. cf. §. 7. 11. sqq.): eaque clades ab hoplitis Spartanorum accipitur, quia socios illi irriserant ab iisdem Iphicratis peltastis repulsos (v. IV, 4, 16—17.). Thebani et Orchomenii detrimentum accipiunt, quum utrique hostem cupidius insecuti essent (v. V, 4, 54. et VI, 5, 13.); item Olynthii (V, 3, 1. 2.) aliique; Thimbron

---

1) Cui non in memoriam Herodoti verba veniant (I, 5.): *τὰ γὰρ τὸ πάλαι μεγάλα ἦν, τὰ πολλὰ αὐτῶν σμικρὰ γέγονε. τὰ δὲ ἐπ' ἐμοῦ ἦν μεγάλα, πρότερον ἦν σμικρά· τὴν ἀνθρωπηΐην ὦν ἐπιστάμενος εὐδαιμονίην οὐδαμὰ ἐν τὠυτῷ μένρυσαν* etc.? In illo Xenophontis loco de Thebanis sermo est, qui in foedere ab omnibns Graecis iuncto soli relicti *παντελῶς ἀθύμως ἔχοντες ἀπῆλθον*, tunc autem Leuctrica pugna contra omnium exspectationem sese rursus erigunt.

subita hostis invasione caeditur, quia bellum *ἀτάκτως καὶ καταφρονητικῶς* administrat (IV, 8, 18. 19.). Contraria autem huic vitio virtus, temperantiam dico, graece *σωφροσύνην* appellatam, quanto in honore fuerit, inde intelligitur, quod hoc uno nomine omnes virtutes comprehendi videntur (v. VI, 2, 30. VII, 3, 6. cf. VI, 3, 16.). Quam quidem *σωφροσύνην* etiam in Memorabilibus Socrates non solum primam, qua discipulorum animi imbuendi essent (IV, 3, 1.), sed omnino primam virtutem esse iudicavit (III, 9, 4.). Idem enim est quod *σοφία*: *σοφοὶ* autem ii sunt, qui *ἐπίστανται τὰ καλὰ κἀγαθά*.

Haec de superbia: restat, ut impietatem erga deos pari modo puniri, pietatem suo praemio ornari exemplis demonstrem, quorum permagnus numerus est. Eorum autem recensendorum mox commodiorem locum in parte huius capitis altera nanciscar, ad quam nunc transeo: in qua quid in singulis rebus enarrandis Xenophon consilii secutus sit expositurus sum.

Alterum igitur illud consilium in eo constare existimo, ut quae quisque dux bene gessisset, exponeret atque ita quasi artem imperatoriam exemplis illustraret. Non prorsus falso igitur Niebuhrius (l. l.) iudicavit, quum Agesilai laudem istis libris contineri diceret: quamquam procul absum, ut id libri consilium fuisse existimem. Quod enim tam saepe Agesilaus laudatur, ea causa est, quia ille per hos annos plurima pulchre gessit; ut in hoc pars consilii, non ipsum consilium conspicuum fieri dici possit. Id autem consilium primus, quod sciam, Creuzerus significavit magis quam demonstravit [1]). Equidem in demonstrando eo ita versabor, ut primum quidquid Xenophon narret,

---

1) In libro: Die historische Kunst der Griechen, p. 293.

ita fere comparatum esse ostendam, ut futurus belli dux aliquid inde in suum fructum convertere possit, deinde videam, quamquam ille est consilii sui dissimulantissimus, anne tamen aliquid de eo prodat.

Ac primum quidem quum id potissimum imperatori videndum esse existimaret, ne quid impie atque contra deorum voluntatem susciperet, multis exemplis comprobare studuit, quod pie susciperetur, bonum; quod impie, malum eventum habere solere: quam plerique Xenophonteam superstitionem appellant. Ipse sic profitetur (III, 4, 18.): *ὅπου ἄνδρες θεοὺς μὲν σέβοιντο, τὰ δὲ πολεμικὰ ἀσκοῖεν, πειθαρχεῖν δὲ μελετῷεν, πῶς οὐκ εἰκὸς ἐνταῦθα πάντα μεστὰ ἐλπίδων ἀγαθῶν εἶναι;* in quo simul ostendit, cur in ea re tantum momentum esse censeat. Enumerabo autem singulos locos huc pertinentes. III, 1, 17—19. Dercyllidas sacris quominus Cebrenem oppugnet impeditur: ipsa enim sese deditura erat et dedidit, quum paucos dies exspectasset, Athenadas autem, qui contra sacra aliquid tentaverat, cum magna iactura repellitur; III, 3, 4. Agesilaus per sacra de Cinadonis coniuratione commonetur; III, 4, 11. id ipsum Agesilao fauste accidisse dicitur, quod periurio Tissaphernes deos a se abalienasset; IV, 3, 2—3. cl. §. 12. Argivi, Boeoti, Athenienses, Corinthii festo die impetum in adversarios faciunt ipsasque deorum statuas eorum sanguine adspergunt, mox huius impietatis poenas daturi; IV, 8, 36. Anaxibius ab Iphicrate cladem accipit, quia per incuriam sacra non fecerat; VI, 4, 7. Thebani ante pugnam Leuctricam, VII, 1, 31. Lacedaemonii ante proelium *ἄδακρυ* deorum prodigiis ad maiorem spem excitantur; VII, 2, 20. Phliasii per pietatem res feliciter gerunt; VII, 4, 3. Lycomedes, qui cum Atheniensibus contra Spartanos foedus iunxisset, *δαιμονιώτατα ἀποθνήσκει*; VII, 4, 32. ipse Iupiter dicitur Eleos contra impios Arca-

des inspirasse, ut Olympiam his eriperent; VII, 5, 10. Lacedaemonii de Thebanorum invasione certiores fiunt θείᾳ τινὶ μοίρᾳ, iidemque deorum ope Thebanos repellunt, quum autem fugientibus cupidius instant, per eosdem deos caeduntur, §§. 12. 13. (in quo Xenophon his verbis utitur (§. 12.): ἔξεστι μὲν τὸ θεῖον αἰτιᾶσθαι, et (§. 13.): περιεγέγραπτο γὰρ ὡς ἔοικεν ὑπὸ τοῦ θείου, μέχρις ὅσου ἡ νίκη ἐδέδοτο αὐτοῖς). Eum autem Thebanis male velle nulla alia re clarius intelligitur, quam quod hos potissimum saepe impie agentes inducit, velut III, 4, 4. quum Agesilaum Aulide quominus sacra faciat, prohibent, qua impietate potissimum magnam calamitatis partem in se contraxisse dicuntur (III, 5, 5.); V, 4, 12., quum contra fidem datam Lacedaemonios ex Cadmea discedentes iugulant; velut IV, 2, 18. 3, 2—3. VI, 5, 8—9., quibus locis quae impietas insit quaeque impietatis poena supra demonstravi; denique VII, 4., in quo capite Thebani maxime cum Arcadibus templi opes diripuisse eoque effecisse narrantur, ut discordiae orirentur resque ipsis minus bene succederent. Contra Agesilaum nulla de re magis laudat, quam de pietate, velut IV, 3, 20., ubi octoginta hostes, qui post Coronensem pugnam in templum quoddam confugissent, intacti ab illo dimittuntur, V, 2, 3. et 3, 13., ubi simul hospitii sanctitatem et parentis sui memoriam antiquissimam habuisse dicitur, illo loco, quum contra Mantinenses expeditionem facere nollet, qui cum patre hospitium habuissent, hoc, quum Phliasios exules eadem de causa strenue adiuvat. Ac non inepte observari videtur, eundem, qui plurima strenue in bello gessisset, etiam frequentissimum deorum cultorem perhiberi. Ex iis enim locis, in quibus sacra facta esse dicuntur, quos praeter illos, quos iam tetigi, enumero, ut appareat, quam id saepe fiat: III, 4, 4. 23. IV, 1, 22. 2, 20. 6, 10. 7,

2, 7. V, 3, 14. 4, 37. 41. 47. VI, 4, 19. 5, 12. 17. 18. 49. VII, 4, 30., maior pars ad Agesilaum pertinet (III, 4, 4. 23. IV, 6, 10. V, 3, 14. 4, 37. 41. 47. 5, 12. 17. VI, 5, 12. 17. 18.).

In reliquis, quae huius generis sunt, ita versabor, ut totum volumen percurrens commonstrem, si quid ad illud consilium illustrandae artis imperatoriae pertinet. Ita optime apparebit, quam magna pars eo consilio nitatur.

Res in Asia gestae ita adumbrantur, ut Thimbronem malum, Dercyllidam bonum, Agesilaum optimum imperatorem fuisse manifestum fiat hique imperatores inter se comparentur. Simul id inde discitur, ex imperatore eventum felicem pendere, non e militibus: milites enim a legatis Lacedaemoniorum reprehensi, quod tunc quidem bonos, olim autem Thimbrone duce malos sese praestitissent, ita respondent (III, 2, 7.): Ἀλλ' ἡμεῖς μὲν ἐσμὲν οἱ αὐτοὶ νῦν τε καὶ πέρυσιν· ἄρχων δὲ ἄλλος μὲν νῦν, ἄλλος δὲ τὸ παρελθόν. Deinde Dercyllidae exemplo discitur, cavendum esse, ne in itinere sociorum agri diripiantur (III, 1, 10.), et ne in sociorum terra hiemetur (III, 2, 1.). Idem stipendia iusto tempore dando et se aliquid si fieri possit additurum pollicendo milites promptiores reddit (III, 1, 28.): quod idem Persicae mulieris exemplo commendatur (III, 1, 13.). Nihil autem de Dercyllida pluribus narratur, quam qua arte Midiam deceperit, qua effecit, ut vel invitus ipsi urbes traderet, quas nullo suo iure obtinebat (III, 1, 7—20.). Idque fere est, si adieceris, eum quod in Bithynis admiserat, ut hoplitae cum leviter armatis hostibus proelio concertarent, cladem accepisse (III, 2, 2—3.), et bene contra instituisse, ut in Chersoneso propter beneficium in incolas collatum per plures menses exercitus aleretur (III, 2, 8—11.), quum autem Tissaphernes et Pharnabazus pugnam com-

instructi essent, longe primum extensa acie (III, 2, 16.), deinde quum ad colloquium invitaretur, electis comitibus ex equitatu peditatuque robustissimis (III, 2, 18.) effecisse, ut illi hac specie territi pacem offerrent; id igitur inquam fere est, quod de Dercyllida memoriae prodidit, de quo agit III, 1, 8 — 2, 20. Agesilaus autem quum in Asiam venisset, quamquam videt, Tissaphernem iunctum foedus rumpere, tamen in fide perstat, scilicet, ut propitios sibi deos reddat (III, 4, 6.), deinde, quum Lysander maiorem videretur auctoritatem nacturus esse, quam ipse, callide id impedit (III, 4, 7 — 10.), quum autem Tissaphernes certis quibusdam indiciis auguraretur, eum in Cariam profecturum esse, id ipse suspicans in Phrygiam expeditionem fecit (III, 4, 12 — 14.), proximo anno autem quum dixisset, se in Phrygiam invasurum, revera invasit, quia illum sciebat iterum ipsum fallacem putaturum (III, 4, 21 — 25.). Ad eam invasionem autem ante arte effecerat ut Iones equites multos ac bonos colligerent, (III, 4, 15.), et nudos proposuerat barbaros, ut eorum infirmitatem sui despicerent (III, 4, 19.). Quum deinde arma contra Pharnabazum vertisset, primum duos satrapas per coniugium quoddam et inter se et sibi ipsi conciliat (IV, 1, 3 — 15.), deinde erga ipsum hostem comem se praestat (IV, 1, 29 — 40.): denique in Graeciam revocatus propositis praemiis efficit, ut et lubentiores et melius instructi Iones ipsum in Europam sequerentur (IV, 2, 5 — 8.). Quae omnia ita comparata sunt, ut aliquid inde discere possit, qui imperatoriam artem colat, et vides, quum res ab Agesilao gestae III, 4, 3 — IV, 2, 5. narrentur, vix ulli locum dari, quae non sit ita comparata. Atque ipsum id, quod in Asiam interiorem Agesilaus bellum translaturus erat, mox apparebit, Xenophontem non sine causa posuisse; scilicet res melius geritur ab eo impe-

ratore, qui hostem ultro aggreditur, quam qui se defendit solum (quod Thimbroni vitio datur, III, 1, 5.). His autem Agesilai rebus interposuit, Lacedaemonios ei etiam imperium maritimum commisisse, ita cogitantes (τοιῷδε λογισμῷ), melius esse, si idem imperator bellum terra marique administraret (III, 4, 27.), et Herippidae exemplo comprobat, male fieri, quaecunque cupide et avare gerantur (IV, 1, 23—27.).

Sequitur belli Corinthiaci narratio, IV, 2, 9. — V, 1. fin., in qua item Agesilai virtus ac solertia elucet. Praeter hunc Teleutias potissimum aliis exemplum proponitur.

Incipitur a Timolai oratione, qui fluviorum similitudine utens, qui, quo propius fontes id fiat, eo facilius vado transiri possint, et vesparum, quae suo nido inclusae facillime opprimantur, suadet, ut Lacedaemonios in ipsa Laconica deprehendere socii studeant (IV, 2, 11—12.): cui simile Teleutiae consilium (V, 1, 20.) infra exponetur [1]). Iidem dein socii ostendunt, imperium male inter plures dividi (IV, 2, 18. cf. 20.). Thebani enim quum penes ipsos imperium est, pugnam committunt, quia minimo suo periculo eam pugnatum iri vident, iidemque ita suae utilitati prospiciunt, nimis profunda acie instructa et nudato Atheniensium latere, ut Athenienses a Lacedaemoniis circumiri possent. Plura dein callida Agesilai consilia explicantur, qui nuntio de victoria Spartanorum apud Nemeam reportata in Asiam misso, facit, ut Iones ad resistendum contra Persarum copias alacriores essent (IV, 3, 2.), et suos milites non solum cladem Cnidensem celat, sed etiam victoriam coram militibus mentitur, ut illos ad pugnam Coronensem erigat (IV, 3, 13.). Eiusdemque

1) Contrarius tamen videtur esse locus VI, 5, 24.

in ipsa hac pugna laudatur fortitudo, reprehenditur audacia, quod in confectas Thebanorum copias discedere cupientes temere invaserit (IV, 3, 19.). Sequuntur res ad Corinthum gestae: ibi Pasimachus Argivos decipit, Sicyoniorum paulo ante superatorum clipeis cum suis utens (IV, 4, 10.): Agesilaus quum Piraeum Corinthiacum ab Iphicrate multisque aliis occupatum deprehendisset, simulata contra ipsam urbem expeditione facit, ut Corinthii Iphicratem auxilio vocarent eoque portum defensoribus nudarent: quo facto ille portum capit (IV, 5, 3.): idem artificio quodam igniculos sibi parat (IV, 5, 4.: μικρῷ μὲν, καιρίῳ δὲ ἐνθυμήματι εὐδοκίμησε). Deinde hoplitae male, ut solet fieri, contra peltastas pugnant (IV, 5, 15.: cf. locum supra propositum III, 2, 2—3.), et equites, quum his auxilium laturi advecti essent, iccirco nihil proficiunt, quia non procurrunt, ut hostes repellant, sed eandem cum peditibus lineam tenent, ideoque ab Xenophonte reprehenduntur (IV, 5, 16.). In Acarnania Agesilaus, quum plurium dierum lentis itineribus hostes securos reddidisset, quinto sextove die subito centum sexaginta stadia uno cursu emensus magnam praedam colligit (IV, 6, 5.): idemque callide ipsa aestate incursionem iteraturus est, ut Acarnanes propter maturas fruges pacis cupidiores essent (IV, 6, 13. cf. 7, 1.). Haec in ipsa Graecia ac terra aguntur: in Asia Dercyllidas sua eloquentia ac constantia Abydenos in fide retinet (IV, 8, 3. sqq.), contra Thimbron, in quo nunc quoque, ut ab initio libri tertii, ostenditur, quid imperatori vitandum sit, a Strutha callide, quum post prandium se quieti dedisset, oppressus caeditur (IV, 8, 18 — 19. cf. 22.). Loco IV, 8, 22. Diphridae Spartano haec laus vere imperatoria datur: ἀεὶ πρὸς ᾧ εἴη ἔργῳ τοῦτο ἔπραττεν. Etiam Thrasybuli bona consilia explicantur (IV, 8, 25.). Reliqua de expeditionibus navalibus ni-

hil fere nisi insidias callide structas continent, Iphicratis (IV, 8, 35.), Gorgopae, qui Athenienses nocte navigantes ab Euboea sine lumine vitatoque omni strepitu subsecutus subita invasione terret magnaque clade afficit (V, 1, 8—9.), Chabriae (V, 1, 10—12.), Teleutiae, qui ipsum Piraeum subito paucis navibus aggreditur (V, 1, 18—25.: hunc *ἀναλογισμὸν* sequens, *ἀσφαλέστερον ἡγήσατο, ἐπ' εἴκοσι ναῦς Ἀθήνησιν οὔσας πλεῦσαι ἢ ἄλλοθι δέκα*, cf. IV, 1, 11—12.), Antalcidae (V, 1, 27.). Non minus autem, quam haec, quae docentis sunt, huc pertinent ea, quibus excitare et ad aemulationem incendere legentes studet, ut studuit V, 1, 3., ubi quo amore milites Teleutiam ab imperio discedentem prosecuti sint narratur, et V, 1, 13—18., quamquam hoc quidem loco etiam plus uno praecepto continetur. Idem enim Teleutias, quum ad ducendos eos milites missus esset, qui, quum mercedem diu non accepissent, adeo obsequium denegassent, ipseque non haberet, unde mercedem daret, eo potissimum militum animos sibi conciliavit, quod suam ipse alacritatem ostendit, seque in militum luce versaturum et labores penuriamque pariter ac milites toleraturum pollicitus est.

Mantinea finito bello Corinthiaco ab Agesipolide callido consilio expugnatur: is enim fluvium per muros ipsamque urbem ductum obstruit, ut aqua muros ipsasque domos allueret (V, 2, 3—7.), in quo non ab re erit notasse, quibus verbis hanc narrationem Xenophon claudat: *σοφωτέρων γενομένων ταύτῃ γε τῶν ἀνθρώπων, τῷ μὴ διὰ τειχῶν ποταμὸν ποιεῖσθαι*: in eodemque circuitu propter magnum obsequii testimonium Lacedaemonii collaudantur (§. 6.). Contra ad Olynthum Eudamidas ita rem gessisse dicitur, *ὥσπερ εἰκὸς τὸν ἐλάττω ἔχοντα δύναμιν* (V, 2, 24.), ad quod infra redibo. Teleutias autem contra eandem urbem missus,

suae liberalitatis, quam per superiorem militiam erga milites praestiterat, fructum percipit: multi enim ac lubenter eum sequuntur (V, 2, 37.); is autem, quum suscepisset imperium, quoties adversus ipsam Olynthum proficiscitur, callide agros populatur non iens, sed rediens (V, 2, 39. 43.), tamen quum semel ira abripi se passus esset, cum magna copiarum suarum parte interficitur (V, 4, 3—6.). Antequam autem caderet, Derdas, ab ipso allectus et inter amicos habitus, felici eventu hostes in insidias pellicit (V, 3, 1—2., qui, ἱππείαν τε ἦγε, τούς θ' ἵππους ἐπεσκευασμένους καὶ τοὺς ἀναβάτας ἐξωπλισμένους ἔχων, quae verba non sine causa describo). Agesilaus deinde, quum Phliuntem obsideret, suum exercitum et auget et exercitatiorem reddit callide (V, 3, 17.); qua re potissimum fit, ut urbs expugnetur, quamquam haec quoque propter constantiam et abstinentiam laudatur aliisque exemplo esse posse dicitur (V, 3, 21.).

Restat bellum Boeoticum, V, 4. usque ad finem voluminis.

Caput quartum fere expletur narratione de Sphodria, quae quo consilio a Xenophonte explicata sit, infra videbimus. Quae praeterea tres Spartanorum invasiones in Boeotiam fiunt, earum una a Cleombroto male instituitur, duae Agesilai laudantur, cf. VI, 4, 5., ubi eaedem invasiones pari modo commemorantur. Agesilaus autem bene, quoties copias educit, μετ' ἄριστον id facit, de quo v. infra (V, 4, 38.), quum autem videret, Thebanos id comperisse, callide semel ante prandium milites educit (V, 4, 41.). Nec inutile fuerit eius aetatis imperatoribus cognoscere, quod V, 4, 42—46. narratur, quomodo Phoebidas primum Thebanos hoplitas feliciter cum suis peltastis persecutus sit, deinde autem a Thebanis subito resistentibus manusque conserentibus cladem acceperit. Agesilaus

quum iterum invaderet, arte, Thebanos decipit, primum eadem, qua olim Persas (V, 4, 48.), deinde qua Corinthios (V, 4, 51. cf. cum IV, 5, 3.), atque his verbis a Xenophonte laudatur, *καὶ μέντοι ἐδόκει καλὸν γενέσθαι τὸ ἐνθύμημα τοῦ Ἀγησιλάου.* Olynthii autem equites multos Thebanos interficiunt, quos in editum locum persequuntur: *ταχὺ γὰρ πρὸς ἄναντες εὐήλατον ἁλίσκονται πεζοὶ ὑπὸ ἱππέων* (V, 4, 54.), Alcetas sua ipse negligentia punitur (V, 4, 57.).

In primo dein libri sexti capite Polydamas Pharsalius coram Spartanis exponit, qua arte Iason sibi *totius* Thessaliae principatum paraverit, VI, 1, 4—16.: in quo nihil fere est, quod non cum illo Xenophontis consilio concinat. Is igitur ipse cum militibus suis laborum patientia et exercitatione armorum certat (§. 5.); si quos minus strenuos repperit, dimittit, qui autem impigros et fortes se praebent, eos quoquo modo adiuvat, donat (§. 6.); et quae tria bonum imperatorem efficere videntur, *τὸ λανθάνειν, τὸ φθάνειν, τὸ βιάζεσθαι,* in iis talis est, ut fere nunquam propositum non exsequatur (§. 15.). Milites autem ita sibi conciliavit, ut nihil nimis difficile putarent (ibid.). Ipse denique *ἐγκρατέστατός γε ἐστὶν ὧν ἐγὼ οἶδα τῶν περὶ τὸ σῶμα ἡδονῶν, ὥστε οὐδὲ διὰ ταῦτα ἀσχολίαν ἔχει εἰς τὸ μὴ πράττειν ἀεὶ τὸ δέον.*

In capite eiusdem libri secundo primum Timotheus laudari videtur, quia in expeditione suscipienda caute egit (VI, 2, 12.): quidquid deinde per idem caput de rebus Corcyraeis narratur, id eiusmodi est, ut Mnasippus Spartanus reprehendatur, Iphicrates Atheniensis laudetur, hique viri ita inter se opponantur. Mnasippus igitur primum in insula ditissima milites quoquo modo lascivire sinit (VI, 2, 6—7.), deinde idem superbia et avaritia et nimia severitate odium militum sibi contrahit (VI, 2, 15—19. §. 19. *οὕτω μὲν δὴ*

ἀθύμως ἔχοντες καὶ μισοῦντες αὐτὸν συνεξῆλθον ἅπαντες ὅπερ ἥκιστα εἰς μάχην συμφέρει), eoque facit, ut quum ante tantum non habere urbem sibi visus esset, denique et se et Spartanorum copias perdat (VI, 2, 20—26.). Iphicrates contra nihil facit, quod Xenophon non admiratione et amulatione dignum putet. Iter ipsum igitur ita instituit, ut milites simul quovis modo nulla temporis iactura ad pugnam navalem praepararentur (VI, 2, 27—32.). Simul cautissime in ea re versatur et est, quod novum instituerit, ne in itinere quidquam necopino ipsi accideret (§. 31. §. 29.). Quum autem in Corcyram advenisset, ipse locum eligit, unde naves Syracusanae, quae adventare dicebantur, optime prospici possent (§. 33.), et ita omnia providet, ut quam celerrime de earum adventu ipse certior fieret (§. 34. quum advenissent, ἀξία θέας ἐγένετο ἡ σπουδή). Idem denique, quod Callistratum Chabriamque socios huius expeditionis adscivit, ipsius inimicos, aut moderatissime egit aut prudentissime (VI, 2, 39.).

Caput tertium pacis actionibus absumitur, in eoque magis totius instituti commendandae temperantiae (v. potissimum §. 16.) quam praeceptorum militarium rationem habuit. Etiam proximi capitis initio, quo ad Leuctricam pugnam devenit, ut ipse ex iis, quae supra disputavi, suspiceris, quum eam Spartanorum calamitatem a divina ira potius, quam ab Thebanorum solertia repetat, maxime in ominibus portentisque illam cladem praemonstrantibus commoratur. Tamen laudat Thebanorum equitatum, quia exercitatus in armis fuerit (§. 10.), Spartanorum vituperat, et cur is pessimus fuerit, causam exponit (§. 11.). Deinde §. 12. significat paucis, qua arte Thebani vicerint (λογιζόμενοι, ὡς εἰ νικήσειαν τὸ περὶ τὸν βασιλέα τὸ ἄλλο πᾶν εὐχείρωτον ἔσοιτο). Archidamum §. 21. propter celeritatem laudat, qui in multis urbibus prius ad-

fuerit, quam quidquam de eius adventu compertum esset, δῆλον ποιῶν, ὅτι πολλαχοῦ τὸ τάχος μᾶλλον τῆς βίας διαπράττεται τὰ δέοντα.

Post pugnam Leuctricam paulisper distinetur Xenophon narrando ea, quae ex ista Thebanorum victoria consecuta sint. Quum primum autem Agesilaus imperium accepit, exponitur, quam circumspecte ille Argivos cum Mantinensibus copias iungere siverit (VI, 5, 16.), et quam callide quum neque manere neque abire sine periculo posse videretur, tamen abierit (VI, 5, 18.). Postquam deinde Ischolaus ob fortitudinem laudatus est, reprehensus autem, quod cum paucis contra multos in aequo pugnam commiserit (VI, 5, 26.); Lacedaemoniique feliciter ex insidiis pugnarunt (VI, 5, 31.), clauditur hoc caput gravi Iphicratis reprehensione (§. 52.), qui quum magnum equitum numerum speculatum misisset, maiorem, quam qui hostes fallere posset, non tantum autem, ut hostes sustinere posset, viginti equites amisit. Haec autem sunt ea in re Xenophontis verba: τὸ πολλούς τε προςάγειν καὶ ἥττονας τῶν ἐναντίων, πῶς οὐ πολλὴ ἀφροσύνη;

In libri ultimi capite primo Thebani bono consilio utentes Lacedaemonios in statione quadam primo diluculo aggrediuntur (§. 15.); Lacedaemonii vituperantur, quod collem adversus Thebanos non tenuerint, quo factum, ut illi tuto Peloponnesum intrare possent (§. 17.); equites a Dionysio missi eximiam solertiam et exercitationem praestant singularique quodam artificio Thebanos eludunt (§. 21.); Arcadum impigra militia laudatur (§. 26.). Caput alterum autem totum huc pertinet, si quidem, quod ad locum V, 1, 3. observavi, non tantum doceri voluit, qui legant, sed etiam excitari. Ipse enim §. 1. profitetur, se pulcre a Phliasiis per totum bellum facta expositurum, cf. §. 16. et Cap. 3, 1. Caput

put tertium nihil rerum militarium continet, et ipse invitus in ea re commorari videtur, v. §. 4., ubi haec verba sunt: *Ἀλλὰ γὰρ ἐπείπερ ἠρξάμην, διατελέσαι βούλομαι τὰ περὶ Εὔφρονος.* Quid autem haec narratio sibi velit, infra videbimus. In quarto capite Corinthii callide praevertunt callida Atheniensium consilia (VII, 4, 4—5.); Argivi nocturno itinere rem bene gerunt (VII, 4, 13.); Archidamus non satis caute manum cum Arcadibus conserit. Inde a §. 28 quae ex hoc capite reliqua sunt, quo spectent, expositum est partim p. 86. partim p. 87. Ultimum autem caput, quo extrema Epaminondae in Peloponnesum expeditio narratur, plenum rursus est Xenophontis iudiciis et praeceptis militaribus. Sic §. 8. universe iudicat, nihil quod consilio aut fortitudine geri posset, ab Epaminonda omissum esse, eodemque loco explicat, cur tam prudenter in ipsa Tegea castra posuerit, deinde interposuit Atheniensium equitum laudes, qui quum vix ad urbem advenissent, quamquam nec pransi erant nec numero hostibus pares, tamen impigre Mantinensibus auxilium tulissent (§. 15 — 17.). §. 19 — 20. Epaminondam admiratur, quod in tantis laboribus milites promptos et ad obsequendum paratos servaverit, eiusdemque artificium quoddam explicat, quo Arcades effecerit ut Thebani esse viderentur; §. 21—22. idem Epaminondas hostes decipit, ut illum eo die non pugnaturum existimarent, sic autem quum et arma et animum pugnandi deposuissent, imparatos pugnare cogit; §. 23. exercitum *ἀντίπρωρον ὥςπερ τριήρη* contra hostes ducit, iis qui minus prompti essent, ad extremam aciem reiectis, *εἰδὼς ὅτι ἡττηθὲν ἀθυμίαν ἂν παράσχοι τοῖς μεθ' ἑαυτοῦ, ῥώμην δὲ τοῖς πολεμίοις.* Quod autem denique (§. 24 — 25.) interfecto Epaminonda Thebani subsistere victoriamque e manibus dimittere perhibentur: eo et imperatoris gloria augetur et vero illud iudicium confirmatur, quod p. 88.

exposui, nimirum ab imperatore, non a militibus quemvis felicem eventum dependere.

Corollarii loco autem statim subiiciam, quod separatim de quibusdam locis me disputaturum esse supra significavi. Sunt autem loci hi: V, 4, 25 — 33. VII, 3, 4. sqq. Priore enim loco de Sphodria narratur, quomodo is per Cleonymi filii sui et Archidami mutuum amorem servatus sit. Haec igitur narratio ab isto consilio aliena esse videtur, at non est. Amor enim ille quantum saepe in pugnis momenti attulerit, notum est, et illorum ipsorum iuvenum exemplo comprobatur (v. §. 33.). Sed aliud quoque quiddam in ista narratione cognosci licet, ipse enim Xenophon mirari videtur, quomodo Sphodrias morte dignissimus tamen a viris probissimis ac non iniuste liberari potuerit, idque quum ipsi non constaret, aliis diiudicandum proponere: eademque ratio est loci VII, 3, 4. sqq., quem alterum supra proposui, quo Euphron a Sicyoniis iuste an iniuste necatus sit ambigere videtur. Id sane minus ad imperatoriam artem pertinet. Possunt etiam quidam alii loci adiici, in quibus universae potius virtutis, quam imperatoriae admirator est, velut IV, 1, 29 — 40. VII, 4, 6 — 11. At tam pauci hi loci sunt, ut nihil inde velis contra reliquos omnes disputare: atque ii loci, quos postremo dixi, aliquantulum certe ad rem militarem pertinent.

Mihi igitur ita videtur, ut huius capitis summam paucis complectar, quaequae hoc volumine continentur, aut communi illi consilio inservire, ut divinae iustitiae documentum exhibeatur, aut ad explicandam imperatoriam artem pertinere: ut quum Thucydides in foro multis visus sit historiam scripsisse, Xenophon contra vel rectius in acie ac dimicatione habitare dici possit. Idque paululum etiam confirmabitur, si quae supra

exposui, magna saltem ex parte ad praecepta ab ipso, maxime in Hipparchico proposita retulero.

Itaque quod primum posui, pietatem erga deos et sacra rite instituenda, id in Hipparchico non tantum primum extremumque praeceptum, sed nulla fere est pagina, in qua non occurrat. In fine autem sic loquitur: *Εἰ δέ τις τοῦτο θαυμάζει, ὅτι πολλάκις γέγραπται, τὸ σὺν θεῷ πράττειν, εὖ ἴστω, ὅτι ἢν πολλάκις κινδυνεύῃ ἧττον τοῦτο θαυμάσεται* (IX, 8.).

Ibidem I, 26. iubet imperatorem praemia proponere et concertationem quandam efficere, ut equites melius instructos nanciscatur, ut fecit Agesilaus Hell. II, 2, 5—8., et arbitros eos constituere, qui maxima apud suos auctoritate floreant, ut Agesilaum audimus Spartiatas dignitate a se proximos constituisse l. l. §. 8. Cf. VI, 3, 10. Hipp. IV, 9. praecipit, rectius convocari milites *ἀπὸ παραγγέλσεως ἢ εἰ ἀπὸ κήρυκος ἢ ἀπὸ προγραφῆς*, ut fecit Epaminondas VII, 5, 9. Struthas adeo caute egisse dicitur, ut ne id quidem faceret, IV, 8, 19. Quod autem toties in Hellenicis insidias callide structas retulit (v. IV, 8, 35. V, 1, 8—9. 10—12. 18—25. 27. et al.), id egregie convenit cum pluribus Hipparchici locis, maxime cum hoc praecepto, quod V, 9. legitur: *ὄντως γὰρ οὐδὲν κερδαλεώτερον ἐν πολέμῳ ἀπάτης*. In eodem capite (§. 12.) praecipit, optime eam fraudem institui, ut quum mari videaris rem gesturus esse, terra geras et contra: ita fecerunt Iphicrates, quum Anaxibium deciperet IV, 8, 35., et Chabrias V, 1, 10—12. Quod autem VI, 2. sic praecipit: *Εὐνοϊκῶς μὲν οὖν ἔχειν καὶ ἐκ τῶνδε εἰκὸς τοὺς ἀρχομένους, ὅταν φιλοφρόνως τε ἔχῃ πρὸς αὐτοὺς καὶ προνοῶν φαίνηται, ὅπως τε σῖτον ἕξουσι* — et §. 3. *ἐστι καὶ* — *φανερὸν εἶναι ἐπιμελούμενον καὶ προνοοῦντά τε καὶ ἀγρυπνοῦντα τῶν ἀρχομένων*; id nescio quo exemplo rectius confirmetur, quam Teleutiae V, 1, 3. 13—18. Et quod deinde in Hippar-

chico sequitur §. 4. ut dux, si fieri possit, ea quae militibus imperet, ipse omnium optime praestare possit, ad id potissimum Iasonis exemplum spectare videtur, VI, 1, 4—16. Loco autem V, 3. haec leguntur: Ἀγαθὸν δὲ μηχάνημα καὶ τὸ δύνασθαι ὅταν μὲν τὰ ἑαυτοῦ ἀσθενῶς ἔχῃ, φόβον παρασκευάζειν τοῖς πολεμίοις ὡς μὴ ἐπιθῶνται: qua arte supra docui Dercyllidam rem contra Tissaphernem Pharnabazumque bene gessisse (III, 2, 16.). Deinde Hipp. VII, 12. laudat, si quis hostem invadat aut prandio aut coena occupatum aut primo mane, quum e lecto surgat, ut Struthas fecit IV, 8, 18—19., Epaminondas, VII, 5, 15. Gorgopas autem, quum Athenienses subito invaderet necopinantes, V, 1, 8—9., et Teleutias, quum Piraeum occuparet, V, 1, 18—25. ante oculos habuisse videtur, quod in Hipparchico VIII, 19. sic legitur: Ὁρῶ γὰρ τὰ παράδοξα, ἢν μὲν ἀγαθὰ ᾖ, μᾶλλον εὐφραίνοντα τοὺς ἀνθρώπους, ἢν δὲ δεινά, μᾶλλον ἐκπλήττοντα. Denique ut in Asia Agesilaus fecit, quum equitatum ex Ionibus colligeret, III, 5, 15., ita praecipitur Hipp. IX, 3.

Etiam ex Memorabilibus possem praecepta huc trahere, quae libro tertio continentur, nisi nimis communia essent: nam quae ex Hipparchico attuli, ea ob eam causam potissimum id, quod volo, demonstrare videntur, quia ab ista communitate remota sunt. Unum locum iuvat ex Anabasi adiicere, VII, 2, 18., quia hoc artem quandam luculenter exponit, quam eandem in Iphicrate (Hell. VI, 2, 29.) multis laudibus effert.

Ipse autem Xenophon prodit, se ita res bellicas narrare, ut index exsistat, atque aliquem inde, qui legant, fructum percipere possint. Itaque est, ubi non solum ipse iudicet, sed etiam aliter iudicantes refutet, V, 1, 19.: εἴ τις ὑπολαμβάνοι, ὡς ἀφρόνως ἔπλει — ἐννοησάτω τὸν ἀναλογισμὸν αὐτοῦ. De Iphicrate au-

tem VI, 2, 32. leguntur haec: Οἶδα μὲν οὖν ὅτι ταῦτα πάντα ὅταν οἴωνται ναυμαχήσειν ἄνθρωποι καὶ ἀσκεῖται καὶ μελετᾶται· ἀλλὰ τοῦτο ἐπαινῶ, ὅτι, ἐπεὶ ἀφικέσθαι ταχὺ ἔδει, ἔνθα τοῖς πολεμίοις ναυμαχήσειν ᾤετο, εὕρετο ὅπως μήτε διὰ τὸν πλοῦν ἀνεπιστήμονας εἶναι τῶν εἰς ναυμαχίαν μήτε διὰ τὸ ταῦτα μελετᾶν βραδύτερόν τι ἀφικέσθαι. Loco alio autem, quum eundem Iphicratem vituperasset, exponit, in quo ille errasset, ut non tantum iudicare eum voluisse, sed etiam docere appareat, VI, 5, 52., idemque fit IV, 5, 16. Tertius quidam locus autem talis est, ut ipsum malim describere, quia singula verba ad rem meam facere videntur. Est V, 3, 7., ubi Teleutiae mortem ipsius viri laudatissimi quadam temeritate adductam exposuit: Ἐκ μέντοι γε τῶν τοιούτων παθῶν ἐγώ φημι ἀνθρώπους παιδεύεσθαι, μάλιστα μὲν οὖν, ὡς οὐδ' οἰκέτας χρὴ ὀργῇ κολάζειν, πολλάκις γὰρ καὶ δεσπόται ὀργιζόμενοι μείζω κακὰ ἔπαθον ἢ ἐποίησαν· ἀτὰρ ἀντιπάλοις τὸ μετ' ὀργῆς ἀλλὰ μὴ γνώμῃ προςφέρεσθαι ὅλον ἁμάρτημα· ἡ μὲν γὰρ ὀργὴ ἀπρονόητον, ἡ δὲ γνώμη σκοπεῖ οὐδὲν ἧττον, μή τι πάθῃ ἢ ὅπως βλάψῃ τι τοὺς πολεμίους. Ut autem frugifera esset narratio, quam id semper ante oculos habuerit, apparet potissimum, ubi pugnam Nemeensem, quae haud levis profecto momenti fuit, se ipse quasi excusans iccirco descripturum profitetur, quia aliter pugnata sit ac reliquae eius aetatis, ita igitur — id enim cogitatione supplemus —, ut aliquid inde disci posset. Ipsa verba haec sunt (IV, 3, 16.): καὶ γὰρ ἐγένετο οἵα οὐκ ἄλλη τῶν γ' ἐφ' ἡμῶν. Eodemque pertinet, quod ante pugnam Mantineensem ita praefatur (VII, 5, 21.): Ἐπεὶ μέντοι οὕτω παρεσκευασμένους ἐξήγαγεν, ἄξιον αὖ κατανοῆσαι ἃ ἐποίησεν. Ita autem in rebus suis versantem necesse erat saepe res levioris momenti admittere, nimirum si quid inde ad docendum excitandumve profici putaret: quod ipse his locis profitetur: IV, 5, 4. narrat μικρὸν μέν, καίριον δὲ

ἐνθύμημα et locis V, 1, 4. et VII, 2, 1. haec leguntur: *Γιγνώσκω μὲν οὖν, ὅτι ἐν τούτοις οὔτε δαπάνημα οὔτε κίνδυνον οὔτε μηχάνημα ἀξιόλογον οὐδὲν διηγοῦμαι, ἀλλὰ ναὶ μὰ Δία τόδε ἄξιόν μοι δοκεῖ ἀνδρὶ ἐννοεῖν τί ποτε ποιῶν ὁ Τελευτίας οὕτω διέθηκε τοὺς ἀρχομένους· τοῦτο γὰρ ἤδη πολλῶν καὶ χρημάτων καὶ κινδύνων ἀξιολογώτατον ἀνδρὸς ἔργον ἐστίν*, et: *Ἀλλὰ γὰρ τῶν μεγάλων πόλεων εἴ τι καλὸν ἔπραξαν ἅπαντες οἱ ξυγγραφεῖς μέμνηνται· ἐμοὶ δὲ δοκεῖ, εἴ τις μικρὰ πόλις οὖσα πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα διαπέπρακται, ἔτι μᾶλλον ἄξιον εἶναι ἀποφαίνειν.* Denique hoc consilium suum etiam eo ipse prodidit, quod tam saepe de imperatoribus suis loquens, *ἀναλογισμόν* et *ἐνθύμημα* et *γνώμην* et similia appellat.

Cap. III.

QUO ANIMO XENOPHON PER HOS LIBROS ERGA SPARTANOS ET ATHENIENSES ALIOSQUE ET POPULOS ET PRINCIPES VIROS SIT?

Xenophontis Lacedaemoniorum studium, constat ab Atheniensibus exilii poena multatum (Diog. Laert. II, 51. Paus. V, 6, 4.), a multis recentioribus in eius scriptis deprehensum et notatum esse. Quod Niebuhrius iudicium fecerit, supra commemoratum est, idem, sed multo moderatius fecit Boeckhius (Staatshaush. I. 48.) aliique. Singulis locis id iudicium adhibuerunt Schneiderus in sua Hellenicorum editione et Manso (Sparta, III, 2, 5. sqq. cf. II, 393.), qui quidquid fere Xenophon proprii habet, ex illo studio quasi e fonte suo manare indicant. Ex veteribus qui id stu-

dium in eius scriptis reprehenderit, neminem novi, imo Lucianus eum τὸν δίκαιον συγγράφέα appellat, quod ut appareat ad ipsam eius veritatem incorruptumque iudicium referendum esse, totum locum exscribo (Quomodo hist. sit conscr. §. 39.): Ἀλλ' οὐ Ξενοφῶν αὐτὸ ποιήσει, δίκαιος συγγραφεὺς οὐδὲ Θουκυδίδης· ἀλλὰ κἂν ἰδίᾳ μισῇ τινας, πολὺ ἀναγκαιότερον ἡγήσεται τὸ κοινὸν καὶ τὴν ἀλήθειαν περὶ πλείονος ποιήσεται τῆς ἔχθρας, κἂν φιλῇ, ὅμως οὐκ ἀφέξεται ἁμαρτάνοντος.

Schneiderus et Manso ita in hac re demonstranda versati sunt, ut si quid honorificentius de Spartanis commemoraretur, aut si de Atheniensibus aliisve aliquid cum laude alibi narratum apud Xenophontem omissum viderent, huius animum erga Spartanos nimis propensum, erga reliquos malignum increparent. Quod autem tam multa de Spartanis cum laude narrari dicunt: quid si quis obiiciat, at illos plurima laude digna fecisse? Ita enim dicat quispiam: sane Xenophontis opera factum esto, ut si quis ex antiquitate etiamnum fortis ac strenui viri exemplum quaerat, Agesilaum, Teleutiam dicat, ut si quo documento muliebrem constantiam animique magnitudinem ostendere velit, Laconidas commemoret, quae post Leuctricam pugnam questae sint, si suos sospites, laetatae, si honorifice mortuos esse comperissent: at id iure factum est atque inde si quis nimium Lacedaemoniorum studium comprobari velit, necesse est Xenophontem ea narrasse ostendat, quae aut aliorum scriptorum luculentis testimoniis refutentur aut per se incredibilia sint. Deinde multa Xenophontem aut de aliis populis omisisse, quae cum laude commemoranda essent, aut de Spartanis reticuisse, quae vituperatione digna essent, aut denique prout huic illive parti honorifica essent, pluribus paucioribusve verbis exposuisse dicunt. At ita dicunt, quod illud eius consilium non perspexe-

runt, nunc ubi eum ea enarrare vidimus, non quae omnino memoratu digna essent, sed quae quoque modo artem imperatoriam illustrarent, longe aliter iudicamus et cur quaeque aut elegerit aut omiserit, sine illo Lacedaemoniorum studio satis intelligimus.

Ita disputavimus, ut ea via, quam illi ingressi sunt, nihil recte effici posse appareret. Equidem in iis rebus, quas illi ad animum trahunt, multo magis ingenium atque indolem spectandam censeo, in Hellenicis non minus quam in reliquis Xenophontis scriptis conspicuam, eamque, antequam ad singulas res transeamus, eo accuratius considerandam censeo, quod etiam illud consilium, quod Capite proximo exposui, sic multo clarius elucebit. Ac *primum* quidem hoc ille ingenio est, ut si quid suscepit, quod paullo maius est latiusque patet, id quasi coarctet, donec suis exiguis viribus complecti potest. Velut quoties artem quandam tradere instituit, tantum abest, ut eam exhauriat, ut singula quaedam praecepta eaque plerumque perquam minuta proponat. Ea profecto imbecillitas quaedam est, quae eum altius sese tollere ipsamque artem facultate assequi non sivit itaque fecit, ut in minutiis haereret; quamquam non ignoro, ex ipsa hac imbecillitate eximiam illam sermonis venustatem fluxisse, quum paene fieri non posset, ut is, qui nunquam se altius tolleret, quasi caderet ac non semper in rebus tenuissimis etiam verbis elegantissimis uteretur. Nec vero in solis iis scriptis, quae artem quandam tractant, ista reperitur imbecillitas: unam Anabasin excipio, eius viribus non imparem, reliqua scripta omnia idem ostendunt. Ita igitur factum est, ut in Hellenicis, quum historiam hoc nomine vere dignam componere nequiret, illud consilium, quod supra exposui, caperet artisque imperatoriae exempla explicare eaque quodammodo inter se coniungere temporumque ordine disponere satis duceret.

Atque

Atque ita, ut unum ex Mansonis exemplis tangam, non iam mirum videbitur, quod Agesilai expeditio Acarnanica pluribus quam pugna Cnidensis exposita est. Nec enim in solo Agesilao id factum, etiam in Iphicrate Atheniensi non minus cum Mansone mirari posses, quod quibus artificiis ille classem ad pugnam bene praeparaverit, accurate cognoscis, de imperio maritimo autem, quod Athenienses illa aetate recuperarunt, nec quomodo id sibi comparaverint, nec quatenus pertinuerit, audis.

Deinde propter eandem imbecillitatem Xenophon nec in causas rerum altius penetrat, nec fere internas res spectat, quae quantam saepe etiam in externis rebus momenti habeant, quum facillimum intellectu sit, tamen ab illo saepe non intellectum est, nec denique id facit, in quo haud raro summa historicorum virtus cernitur, ut haud pauca eaque non minus vera concludendo aut coniectando suppleant. Vides igitur alteram causam, cur multa saepe omissa sint, quae nunc aut coniectura aut ex Plutarcho Diodorove adiicere cogimur. Eademque pietatis causa est, qua multa ille aut sapientiâ humana praesensa aut viribus humanis gesta ad ipsorum deorum praesens auxilium refert. Num igitur, ut hoc quoque loco plura, ut mihi videor, uno Mansonis exemplo refutem, num nimio studio factum videbitur, quod Agesilaus (III, 4, 15.) propter adversa sacra, non propter alias res adversas ex Phrygia se recepisse dicitur?

Denique ex hoc eius ingenio etiam nimia quaedam admiratio fluxit; quo enim quisque ipse minus ingenio valet, eo caecior solet esse aliorum admirator.

Iam igitur ipsos singulos locos consideremus. Ii autem sic comparati sunt, ut nisi haec de ingenio disputassem, profecto nescirem, quid iudicii facerem.

Ex multis enim locis apparet, eum, etsi minus saepe, tamen non minus lubenter etiam alios populos praeter Lacedaemonios et alios duces praeter Agesilaum, Teleutiam, Archidamum laudare. Inde igitur apparet, eum animo sincerissimo verique indagatorem si non acutissimum, tamen integerrimum esse. Contra autem Lacedaemonii aliquoties si non contra veritatem, at iusto cupidius laudari videntur, et erga Boeotos certe eo odio ferri videtur, quod cum veritate coniunctum esse nequeat. Id igitur explicare profecto non possemus, nisi ingenii, non voluntatis vitium dicere liceret. Nunc omnia aperta sunt; ipsumque hoc satis conveniens videbitur, quod Iphicratem Epaminondamque, ut infra demonstrabo, ita laudat, ut timere videatur, ne parum laudet. — Etiam ad historiam inde aliquis fructus redundat. Quum enim voluntatem sinceram esse sciamus, facilius et cognoscimus, in quibus imbecillitate lapsus sit, et rei veritatem paululum corruptam restituimus.

Athenienses igitur quum compluribus locis laudat, tum uno potissimum ita, ut sincerissimo animo eum id facere appareat. Simul ipsa res, de qua eos laudat, talis est, ut facillime eam prorsus omittere potuerit. Locum eum dico (VII, 5, 15 — 17.), quo Athenienses equites ad Mantineam venisse et quum primum advenissent, summa alacritate et fortitudine Thebanos a moenibus urbis repulisse dicuntur. Hic autem quis non agnoscat sincerissimum laudatorem, quod ipsa narratione finita pergit (§. 16.): *Ἐνταῦθα δὴ τούτων αὖ τὴν ἀρετὴν τίς οὐκ ἂν ἀγασθείη; οἳ καὶ πολὺ πλείονας ὁρῶντες τοὺς πολεμίους καὶ δυστυχήματος γεγενημένου ἐν Κορίνθῳ τοῖς ἱππεῦσιν οὐδὲν τούτου ἐπελογίσαντο, οὐδὲ ὅτι καὶ Θηβαίοις ἅμα καὶ Θετταλοῖς τοῖς κρατίστοις ἱππεῦσιν εἶναι δοκοῦσιν ἔμελλον μάχεσθαι, ἀλλ᾽ αἰσχυνόμενοι, εἰ παρόντες*

μηδὲν ὠφελήσειαν τοὺς συμμάχους, ὡς εἶδον τάχιστα τοὺς πολεμίους συνέῤῥαξαν, ἐρῶντες ἀνασώσασθαι τὴν πατρῴαν δόξαν. Praeter hunc locum id quoque honoris causa de Atheniensibus commemorari puto, quod Athenienses nullam a Timocrate pecuniam acceperint, quae vix dubitari poterit quin oblata sit (III, 5, 2.), nec exigua eorundem laus est praesertim apud Xenophontem, quod Spartanos quantum poterant ab impia Thebanorum caede retraxerunt (V, 4, 12.). Deinde Atheniensis est Iphicrates, quem quantopere in libri sexti Capite secundo laudet, supra exposui, et laudat, quotiescunque eius mentionem facit (IV, 4, 9. 15. 16. 5, 13. 19. 8, 34 — 39.). Unus locus est, in quo eum reprehendit, VI, 5, 51 — 52., sed is ipse locus est, quem supra ante oculos habebam, quum dicerem, interdum eum videri timere, ne hos, quos odio persequi dicitur, parum laudet: quamquam id in Epaminonda multo clarius apparet. Sed etiam in Iphicrate non video, qua alia de causa hoc loco, quum eum reprehenderet, addiderit, se in reliquis eum non reprehendere. Atheniensis item est Thrasybulus, quem semel quidem tantum, at magna cum laude commemorat (IV, 8, 25 — 31.), et Timotheus, quem quamquam non ita laudat, ut poterat, si Isocratis, Pseudo-Aristotelis, Diodori, Polyaeni locos a Schneidero comparatos spectamus, laudat tamen. Nec vero ullum locum video, quo Athenienses cum aliqua iniquitate reprehendat, nisi dicas id factum esse loco V, 4, 19., quo Athenienses ignavia Spartanorum partes deseruisse dicuntur: at revera ita factum sit, et commemoratum id puto, ut hoc quoque exemplo appareret, quanta Lacedaemonii etiamtum auctoritate floruissent.

De reliquis populis iis, qui non cum Spartanis faciebant, sane non potui reperire, ubi eos pari studio

ac modo de Atheniensibus vidimus, laudaverit, et Arcades Thebanosque ipsi apertum est invisos fuisse. Utrique vel maxime impii sunt, primi enim id faciunt, quo insequenti aetate res Graecorum potissimum pessumdatae sunt, ut templi opes diripiant iisque in suam rem utantur (VII, 4. v. potissimum §. 36. 40.): Thebani Spartanos, qui Cadmeam praesidio tenuerant, contra datam fidem necant (V, 4, 12.): Thebani etiam ignavi, velut ubi cladem Nemeensem ignavia sua ipsi adducunt (IV, 2, 18.), ubi quum Agesilaus contra ipsos proficiscitur, ignavia torpent (V, 4, 40.: *ἐψύκεσαν ὑποπεπωκόσι που ἐν μεσημβρίᾳ*), ubi vix centum Spartani eos numero multo superiores in fugam vertunt (VII, 5, 12.): quamquam in hoc loco supra significavi ipsius numinis praesens auxilium a Xenophonte existimatum esse. Tamen etiam in his quod revera laudabile est laudat, in Arcadibus strenuam militiam (VII, 1, 25.), in Thebanis, quod ab omnibus sociis deserti animum adeo non abiecerant, ut mox Leuctricam victoriam reportarent (v. VI, 3, 20. 4, 1. sqq.) quodque equitatum promptissimum et exercitatissimum habuissent (§. 10.). Quodque maximi momenti est, Thebanus est Epaminondas, de quo supra exposui quantopere in Capite quinto libri septimi omnia ad eius laudem composita sint, quemque maxime §. 19. ita laudat, ut accuratissime de eius meritis iudicio eum supra plerosque viros gloriae appetentes extollat [1]).

---

1) In hoc omnes eos adversarios habebo, qui in ipso Epaminonda Xenophontis malignum animum maxime apparere censeant. V. de Epaminonda Morum, ad locum VI, 4, 6. Weiske, Quaest. etc. p. XXVIII. sqq. Isti enim Epaminondam praeter illud extremum caput cum laude commemorandum fuisse putant his locis: VI, 4, 6. 3, 19. 5, 23. sqq. VII, 1, 15. sqq. Concederem, si aut nunquam eum com-

Iam vero de Spartanis videamus. Horum eum admiratorem esse, iam ex paucis illis exemplis, quae supra (p. 102.) tetigi apparuerit. Tamen alia quaedam documenta adiiciam. Inter haec autem primo loco pono, quod Lacedaemonii nunquam ab hostibus superantur nisi ita, ut Xenophon cladis acceptae dedecus aliquantulum mitiget. Sic quum Thebani Lysandrum ab Haliarto repulerunt, ipsi id nesciunt ac tum demum vicisse sibi videntur, postquam hostes nimirum ultro recesserunt (III, 5, 21.), et in pugna Leuctrica Spartani quamvis per ipsos deos repulsi tamen animo fracti adeo non sunt, ut vix cohiberi possint, quominus pugnam instaurent (VI, 4, 14 — 16.), et apud Mantineam reliquis saltem scriptoribus victoria Thebanorum certa esse videtur, non videtur Xenophonti (VII, 5. extr.): quamquam in hac simul aliud quid, quod supra exposui, spectaverit. Non nego, ad Haliartum ipsos Thebanos dubios esse potuisse, nec minus ad Leuctra Spartanorum virtus talem se praestiterit, nec

---

memorasset aut si eo loco, quo commemoravit, non honorificentissime commemorasset. Nunc profecto non video, quomodo, quod aliquot locis eius nomen reticuit, quidquam de eius laude se detracturum putare potuerit, cui fere nihil addi possit. Animus malignus igitur causa, cur reticuerit, esse nequit. Quid igitur? Nempe aut de Epaminonda ipso illic nihil scivisse dicendus est, quod commemoratu dignum esset, aut Epaminondas non omnia ea, quae Diodorus, Nepos ei tribuunt, saltem non omnia solus administravit — ut fieri solet, si quis in aliquo bello maxime excellit, ut eius nomini etiam adscribantur, quae ab aliis praeclare gesta sunt. Fortasse in ipsa pugna Leuctrica undecim illi Boeotarchi exercitui praefuerunt, de quibus v. Thuc. IV, 91., atque Epaminondas non ita inter illos excelluit, ut praeter reliquos nominaretur: Diodorus aliique ita eum solum victorem dixerunt, ut Miltiades pugnae Marathonicae victor perhiberi solet.

prorsus falsa sit Mantinensis pugnae descriptio: tamen studium quoddam in his apparet. Quam longe alius est, si qua Lacedaemoniorum victoria narranda est, velut VII, 1, 32., ubi post illam ἄδακρυν Archidami victoriam cum toto populo Lacedaemoniorum ipse gaudio exsultat. Deinde recte admiretur πειθαρχίαν Lacedaemoniorum, V, 2, 6. VII, 1, 8., recte ἁπλότητα, VI, 1, 18. VII, 4, 9., quum Pharsalio Polydamae ingenue aperiunt, se auxilio venire non posse, Corinthiisque ipsi auctores fiunt, ut pacem cum hoste faciant: tamen etiam in his idem studium apparet; nec profecto Phliasios eadem laude persecutus esset, si alii cuipiam, non ipsis Spartanis se adeo fideles praestitissent [1]). Quanto magis autem Spartanorum admirator est, eo integrior ac sincerior eius animus appareat necesse est, si non prorsus desint, quae Lacedaemoniis vitio vertantur. Nec desunt prorsus. Sic non reticuit, quamquam partem eorum multorum assensum laturam esse non ignorabat, quae Thebani inde a belli Peloponnesiaci fine usque ad bellum Corinthiacum superbe

1) In his documentis solet poni, quod Spartanos in Elidem invadentes eo defendere studuerit, ut eas urbes, quas Spartani ista invasione Eleis eripuerunt, ab his iniuste partas diceret (III, 2, 31.), quod loco V, 1, 36 — 2, 1. Lacedaemoniis pacem Antalcidicam gratuletur et iure contra Mantinenses, Phliasios, Olynthios bellum motum esse statuat, quod Phliasii, quum ab Lacedaemoniis deficerent, superbe agere (ὑβρίζειν) dicantur (V, 3, 13.). At si haec dicas Xenophonti iuste a Spartanis facta videri, quae tandem illa ἀδικηθέντα (V, 4, 1.) sint, quae Xenophon Spartanis obiicit? Imo his exemplis optime cognoscitur, quum Xenophon suum iudicicium reprimere soleat, quam saepe ipsi aliter visum sit, si Spartanis aliisve aliquid hoc illove modo visum esse dicit. Sic contra apparet, ea, quae modo enumeravi, inter documenta contraria referri posse ea, quibus Spartanos etiam reprehendat.

a Lacedaemoniis facta coram Atheniensibus explicaverunt (III, 5, 8—15.), aliique loco vel acerbitas quaedam inesse videtur, VI, 4, 2—3., in quo quum Cleombrotus ante pugnam Leuctricam ea suasisset, quae ita eventura essent, ut et diis et sociis maxime placerent (τούς τε θεοὺς εὐμενεστάτους εἶναι καὶ τὰς πόλεις ἥκιστ᾽ ἂν ἄχθεσθαι), Spartanorum concio id derisisse dicitur (ἡ ἐκκλησία ἀκούσασα ταῦτα ἐκεῖνον μὲν φλυαρεῖν ἡγήσατο). Et minora quidem sunt, tamen non negligenda, quod loco, quem supra exposui (IV, 4, 17. cl. IV, 5, 6.) Lacedaemonii socios derisisse huiusque superbiae poenam dedisse dicuntur, quodque VI, 5, 35. unus e legatis Spartanorum coram Atheniensibus spem facit fore, ut Thebani in servitutem redigantur (δεκατευθῆναι τοὺς Θηβαίους).

His autem ita expositis, quum Xenophontem demonstraverim veri quidem indagatorem esse integerrimum et sincerissimum, ac tamen non prorsus ab aliquo Lacedaemoniorum studio alienum esse, mirari quispiam possit, quomodo id cum eo Hellenicorum consilio conveniat, quo illum id spectasse dixi, ut Lacedaemoniorum superbia appareret, quomodo et orta et a diis punita esset. Quod Thebani enim eos vicerint, inde sequi, si verum sit illud consilium, Thebanos illis meliores et iustiores describendos fuisse. At non sequitur. Imo quamquam illi fere uni aliquam pristinae virtutis partem conservarunt, tamen, quia sua potestate non modice usi sunt, puniti sunt, et puniti sunt ab iis, qui ipsis multo inferiores et deteriores essent, scilicet quo magis divina iustitia appareret. Id subtilius esse videri posset, nisi haberem, quo exemplo id quamvis e longe remotis oris petito illustrarem. Quum enim Iudaei partim ab Assyriis partim a Babyloniis in exilium abducerentur acerbissimisque suppliciis affice-

rentur, tantum aberat, ut prophetae, quos harum rerum locupletissimos auctores habemus, aut divinam iustitiam desiderarent aut hostes suo populo meliores deove cariores ducerent, ut eo simul et poenae acerbitatem et dei iustitiam augeri profiterentur, quod iis succumberent, qui deo invisi ipsique summo supplicio digni essent.

HALAE,
FORMIS EXPRESSUM ORPHANOTROPHEI.